

agere contra charitatem, pro tanto quia illud *agere vel velle* non potest sibi proponi practice sub ratione boni; sic, in proposito, dicitur quod videns Deum non potest suspendere actum voluntatis circa Deum sibi practice evidenter ostensem, quia talis suspensio non potest sibi proponi practice sub ratione boni, aut volibilis, aut prosequibilis. Et istud confort ad intelligentiam omnium predictorum.

Ad argumentum principale in principio (x) objec-  
tum, respondet sanctus Thomas, praesenti distinc-  
tione, q. 4, art. 3, q<sup>a</sup> 1, in solutione primi, dicens:  
« Sicut visibile est duplex, scilicet per se, sicut  
color, et per accidens, sicut homo; ita etiam appre-  
cibile, etc., o sicut supra recitatum fuit, in solu-  
tione argumentorum Scoti (6). »

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## QUESTIO IV.

UTRUM INTELLECTUS CREATUS EX SOLIS NATURALIBUS  
POSSIT PERTINGERE AD VIDENDUM DEUM PER ESSEN-  
TIAM.

**S**ALTERIUS, circa eamdem quadragesimam nonam distinctionem, queritur: Utrum intellectus creatus ex solis naturalibus possit pertingere ad videndum Deum per essentiam.

Et arguitur quod sic. Quia dicitur, in 3. *de Anima* (l. c. 3), *sicut se habet visus ad visibile, ita se habet intellectus ad intelligibile*. Sed visus non impeditur a visione alicujus nisi aliquo quatuor (γ) modorum. Uno modo, propter corruptionem visus, sicut quando est aliqua macula in pupilla; quod non potest dici de intellectu angelico, etiam in statu naturalium, quia angeli sunt specula munda et clarissima, ut dicit Dionysius, cap. 4 *de Divinis Nominibus*. Alio modo, propter absentiam visibilis; nec hoc potest dici in proposito, quia Deus est præsens omni intellectui, quia omnia implet. Tertio modo, ex hoc quod visibile non est visibile in actu, sicut colores in tenebris (non enim sunt visibles actu, nisi per lucem); quod etiam in proposito dici non potest, quia ipse Deus per seipsum est visibilis, cum sit lux intelligibilis, ut patet, Joh. 1. Quarto modo, propter excellentiam objecti-

quod corruptit sensum (2); nec hoc in proposito locum habet; excellentia enim intelligibilis non corruptit intellectum (6), sicut excellentia sensibilium corruptunt sensum (7), ut dicitur, 3. *de Anima* (l. c. 7). Ergo nihil impedit quin intellectus creatus ex propriis naturalibus Deum videre possit per essentiam.

In oppositum arguitur. Quia, *Romanorum*, 6 (v. 23), dicitur: *Gratia Dei vita aeterna*. Sed videre Deum per essentiam, est vita aeterna, secundum illud Iohannis 17 (v. 3): *Hoc est vita aeterna, ut cognoscant te*, etc. Ergo videre Deum per essentiam convenit intellectui creato per gratiam, et non per naturam.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS 1.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** *Quod impossibile est quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia sola Dei essentiam videat (8).*

Hanc ponit sanctus Thomas, 4 p., q. 12, art. 4, ubi sic dicit: « Impossibile est quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia sola Dei essentiam videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum sue nature. Si ergo modus essendi alicuius rei cognitae exceedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius sit supra naturam illius cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quedam enim sunt, quorum natura non habet esse nisi in hac materia individuali; et hujusmodi sunt omnia corporalia. Quaedam vero sunt, quorum natura sunt per se subsistentes, non in materia aliqua, que tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes; et hujusmodi sunt substantie incorporeæ, quas angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est ut sit suum esse subsistens. Ea ergo quae non habent esse nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo quod anima nostra, per quam cognoscimus, est forma alicujus materie. Que tamen habet duas

(x) corruptit sensum. — correspondet sensui Pr.

(6) intelligibilis non corruptit intellectum. — intellectus non correspondet intellectui. Pr.

(7) corruptunt sensum. — correspondent sensui Pr.

(8) videat. — Om. Pr.

(α) in principio. — Om. Pr.

(β) Cfr. ad primum Scoti.

(γ) aliqua quatuor. — aliquorum Pr.

virtutes cognoscitivas. Unam, que est actus alienus organi corporei. Et huius connaturale est cognoscere res secundum quod sunt in materia individuali. Unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva ejus est intellectus, qui non est actus alienus corporalis organi. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, que quidem non habent esse nisi in individuali materia; non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed (2) secundum quod abstractiuntur ab ea per considerationem intellectus. Unde secundum intellectum possumus cognoscere hujusmodi res in universalis; quou est supra facultatem sensus. Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes; quod est supra facultatem naturalem intellectus humanae anime, secundum statum praesentis vite, quo corpori unitur. Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens, sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem cuiuslibet intellectus creati; quia nulla natura creata est suum esse, sed habet esse participatum. Non potest igitur intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi Deus per gratiam se intellectui creato conjungat, ut intelligibile ab ipso. » — Hec ille.

Eamdem conclusionem ponit cum simili probatione, 4. *Sentent.*, dist. 49, q. 2, art. 6; et *de Veritate*, q. 8, art. 3; et 3. *Contra Gentiles*, cap. 52; et multis aliis locis.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conculsione: Nulla potentia cognoscitiva potest naturaliter cognoscere quidditatem vel essentiam objecti quod est sibi naturaliter improportionatum in esse cognoscibili. Sed sic se habet omnis intellectus creatus respectu divinae essentiae. Ergo, etc.

**Secunda conclusio est quod intellectus creatus ad videndum Deum indiget adjutorio luminis glorie.**

Hanc ponit sanctus Thomas, 1 p., q. 12, art. 5, dicens: « Omne quod elevatur ad aliquid quod excedit naturam suam, oportet quod disponatur aliqua dispositione ad talem formam. Cum ergo virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex divina gratia superaccrescat (6) ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellective illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lucens vel lux. Et istud est lumen de quo dicitur, *Apoc.* 21 (v. 23), quod *claritas Dei illuminabit eam*, scilicet societatem beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficiuntur deformes, id est, Deo similes (7), secundum illud

1. *Johan.* 3 (v. 2); *Cum apparuerit, similes ei erimus*, o — Hec ille.

Eamdem ponit, *de Veritate*, q. 8, art. 3, ubi sic dicit: « Ad hoc quod Deus per essentiam videatur, oportet quod essentia divina uniatur quodammodo intellectui ut forma intelligibilis. Perfectibile autem non unitur forme nisi postquam est in ipso dispositio, que facit perfectibile receptivum talis forme; quia proprius actus fit in propria potentia; sicut corpus non unitur anime ut forme, nisi postquam fuerit organizatum et dispositum. Unde oportet etiam in intellectu esse aliquam dispositionem, per quam efficiatur perfectibile tali forma que est divina essentia; quod est aliquod intelligibile lumen. Et si quidem sit naturale, ex naturalibus principiis intellectus videre Deum per essentiam poterit. Sed quod sit naturale, est impossibile. Semper enim ultima dispositio ad formam et forma ipsa sunt unius ordinis, in hoc quod si unum est naturale, et reliquum. Essentia autem divina non est forma naturalis intelligibilis intellectus creati. Quod sic patet. Actus enim et potentia semper sunt unius generis; unde potentia in genere quantitatis non respicit actum qui est in genere qualitatis. Unde forma naturalis intellectus creati non potest esse nisi sit illius generis in quo est potentia intellectus creati; unde forma sensibilis, que est alterius generis, non potest esse forma illius; sed forma immaterialis tantum, que est generis sui. Sicut autem forma sensibilis est infra genus intellectivae potentiae creati, ita divina essentia est supra ipsam. Unde essentia divina non est forma ad quam se extendit naturalis facultas intellectus creati. Et ideo lumen illud intelligibile, per quod intellectus creatus fit in ultima dispositione ut conjungatur essentiae divinae ut forme intelligibili, non est naturale, sed supra naturam. Et hoc est lumen glorie, de quo in *Psalmo* (35, v. 10): *In lumine tuo videbimus lumen*. Naturalis ergo facultas cuiuslibet intellectus creati determinatur ad aliquam formam creatam intelligibilem; aliter tamen, in homine, aliter in angelo; quia in homine ad formam intelligibilem a sensu abstractam, et in omnis ejus cognitio oriatur a sensu; in angelo autem ad formam intelligibilem non abstractam a sensu vel acceptam, sed (2) praecepit ad formam que est essentia sua. Et ideo cognitio Dei ad quam angelus naturaliter pervenire potest, est ut cognoscat ipsum per substantiam angeli videntis. Et ideo dicitur in libro *de Causis* (prop. 8), quod intelligentia intelligit illud quod est supra se, per modum substantiae sue, quia, in quantum est creata a Deo, substantia sua est quedam similitudo divine substantiae vel essentie. Sed cognitio Dei ad quam homo naturaliter potest pervenire, est ut cognoscat

(2) a verbis *non tamen* usque ad *sed*, om. Pr.

(6) *superaccrescat*. — *semper accrescat* Pr.

(7) *id est*, *Deo similes*. — *et similes item* Pr.

(α) *sed*. — *et* Pr.

ipsum per formam intelligibilem (x), que lumine intellectus agentis abstracta est a sensibilibus; et ideo (6), *Rom. I* (v. 20) super illud, *Invisibilita Dei*, etc., dicit Glossa, quod homo adjuvatur ad cognoscendum Deum per creaturas sensibiles, per lumen naturalis rationis. Cognitio autem Dei qua est per formam creatam, non est visio ejus per essentiam. Et ideo neque homo neque angelus potest per venire ad Deum per essentiam videndum ex puris naturalibus. — Haec ille.

Eamdem sententiam ponit q. 18, art. 1 (ad 1<sup>um</sup>), et q. 20, art. 2; et multis aliis locis (y).

Ex quibus potest formari ratio pro conclusione duplex. Prima talis est: Nulla potentia potest elevari ad eliciendum actum supernaturale, nisi superaddita sibi virtute supernaturali. Sed intellectus creatus, respectu visionis Dei per essentiam, est huiusmodi. Ergo talem actum non potest elicere sine supernaturali virtute intellectiva. Hanc autem dicimus lumen gloriae. — Secunda talis est: Nullus intellectus creatus potest Deum per essentiam videre, nisi essentia divina sibi uniatur per modum forme et speciei intelligibilis. Ad hoc autem requiritur dispositio supernaturalis, quam dicimus lumen gloriae. Ergo, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONENTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Scoti.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Scotus (dist. 49, q. 44), impugnando probationem ejus, que sic arguitur: cognitio cuiuscunque cognoscentis est secundum modum sive naturae; ergo, si modus essendi alienus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio ipsius rei sit supra facultatem naturae cognoscentis. Hoc enim, inquit Scotus, non sequitur; quia arguit ex propositionibus non syllogizatis. Nec video quod ista consequentia tenet, nisi isto modo argendo, quod, si modus cognitionis est secundum cognoscentem, ergo nulla cognitio naturalis excedit modum naturae cognoscentis; ergo nulla cognitio naturalis, est de objecto ejus cognitio excedit modum naturae cognoscentis; cum ergo modus cognitionis sit secundum modum cognoscibilis, si modus essendi rei cognitae excedat modum

cognoscentis, cognitio ejus erit supernaturalis. Sie enim argendo, argumentum tenet. Sed tunc una propositio est falsa, scilicet haec: modus cognitionis est secundum modum cognoscibilis; et haec similiter, quod nulla naturalis cognitio est de objecto ejus naturae excedit modum naturae cognoscentis; quia licet cognitio non sit supra naturam cognoscentis, est tamen objecti habentis modum cognoscibilem et modum naturae ultra modum naturae cognoscentis, aliter nunquam imperfectius cognosceret perfectius natura datur, nec tunc angelus infinitus posset naturaliter cognoscere angelum supremum.

**Secundo.** Quia, si ratio concluderet tunc intellectus beati, cum lumine gloriae, vel quocumque habitu charitatis, non posset pertingere ad visionem divine essentiae; quia modus naturae cognoscentis, cum omnibus illis, esset inferior in infinitum modo naturae cognitae.

**Tertio.** Quia non oportet inter objectum et potentiam esse proportionem equalitatis, sed potius similitudinis, quae est inter activum et passivum, quae non est secundum proportionem virtutis, quae reddit quantitatem virtutem alterius. Sed oportet esse proportionem motivi ad mobile, ita quod hoc (z) objectum possit mouere, et illa potentia immutari ab illo. Unde objectum debet proportionari potentiae receptivae motionis, sicut operativum proportionatur termino suo operationis, et non quantum ad proportionem duplicis vel triplicis vel aliquius alterius.

**Quarto.** Omnis ordinatum ad finem proportionatur illi fini in attingendo ipsum; et tamen ordinatum, cum omnibus additis, est finitum, et finis est infinitus. Ergo sic in proposito: licet cognitum in se sit natura infinita, tamen potest cognosci naturaliter a cognoscente habente naturam finitam.

**Quinto.** Quia, si loquuntur de proportione geometrica, tunc nulla est proportio finiti ad infinitum; quia finitum quotiescumque sumptum nunquam reddit infinitum. Et isto modo, sicut pulitas creata est improportionata entitatibus increas in entitate, ita et intelligibili improportionabile, nisi loquendo uniformiter de proportionabilitate geometrica. Sed non sequitur quod sit intelligibile improportionatum virtuti cognitiva ipsius cognoscentis; quia proportio objecti ad potentiam est de alio foro. — Haec Scotus.

**II. Argumentum Durandi.** — Contra eandem arguit Durandus (dist. 49, q. 2), sic dicens: Nihil cadens sub ratione formalis objecti excedit proportionem potentiae per se, licet possit (6) excedere per accidens: sicut claritas solis in se excedit visum

(x) intelligibilem, — sensibilem Pr.

(6) dicitur, — Ad. Pr.

(y) Cfr. 3. *Sentent.*, dis. 14, q. 4, art. 1, q<sup>ta</sup> 3; 4. *Sentent.*, dist. 49, q. 2, art. 6; et 3 *Contra Gentiles*, cap. 53 et 54.

(z) hoc, — hic Pr.

(6) licet possit, — possit tamen Pr.

noctuae, propter hoc quod organum visus in noctua hæditur et dissolvitur a claritate solis in rota sua; sed, si hoc non esset, visus noctuae posset clare et manifeste videre solem. Quod satis innuit Philosophus in quodam simili, cum dicit (*1. de Anima*, t. c. 65) quod, si senex haberet oculum juvenis, videret ut juvenis. Ergo excessus objecti super potentiam non potest esse causa cognitionis obscure et confuse, nisi per accidens: vel ratione organi, ut in potentibus sensitibus; vel ratione modi cognoscendi, ut in potentia intellectiva, quæ non cognoscit naturaliter Deum vel substantias separatas nisi per creaturas corporales, quæ sunt inferioris gradus, nec possunt perfecte representare eum. Omnis enim potentia habet proportionem cum omni eo quod cadit sub ratione sui objecti. Deus autem cadit sub ratione entis, quæ est formalis ratio objecti ( $\alpha$ ) intellectus. — Haec ille.

#### § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Scoti.** — Contra secundam conclusionem arguit Scotus (*dist. 49, q. 11*), probando quod lumen glorie non sit necessarium ad hoc quod intellectus creatus Deum per essentiam videat.

**Primo** ( $\delta$ ): Quia, si tale lumen distinctum ab actu visionis et fruitionis requiratur, aut hoc erit ad hoc quod intellectus sit susceptivus visionis, aut ad hoc quod sit activus illius. Sed nec hoc, nec illud, ut patet. Ergo, etc. Minor probatur. Quod enim non requiratur ad hoc quod intellectus sit receptivus beatitudinis, probatur. Quia ratio recipiendi beatitudinem non potest esse aliquis habitus: quia nullo modo per habitum recipitur actus; quia, cum habitus generetur ex actibus, sequeretur ad actus; ergo habitus non est ratio recipiendi actum in via, et multo magis nec in patria. — Secundo ad idem. Quia susceptivum quod ordinatur ad multas formas, maxime ordinatur ad perfectissimam. Sed anima humana ordinatur ad plures formas supernaturales, quarum perfectissima est beatitudo. Ergo anima humana maxime ordinatur ut perficiatur beatitudine. Ergo, si anima humana sit immediatum susceptivum alicujus illarum, maxime erit immediatum susceptivum beatitudinis, quia maxime illa perficitur. — Dicetur forte, quod habitus requiritur ut perfectius perficiatur beatitudine; unde habitus tunc requiritur propter perfectionem beatitudinis. — Contra. Tunc sequitur quod anima humana, secundum quod perficitur beatitudine, non perficiatur simpliciter, sed ille habitus simpliciter; et tunc ille habitus videret, et charitas diligenter Deum, et anima humana non nisi per accidens et secundum quid; ( $\gamma$ ) sicut superficies est per se

colorata, non autem substantia, nisi per accidens, mediante superficie. Igitur anima humana in puris naturalibus est immediatum susceptivum beatitudinis.

Sed probatur alia pars, scilicet quod nec tale lumen ponendum sit propter operationem elicendam. Quia, aut hoc erit necessarium propter objectum, aut propter potentiam. Non propter objectum: quia, cum ipsum sit in se praesens, sufficit ad causandum actum visionis, quantum est ex parte objecti. Item, quia, si aliquid requireretur ( $\alpha$ ) ex parte objecti, hoc esset species objecti, quam tamen tu non ponis. Nec potest dici quod illud lumen sit necessarium propter intellectum, ut eliciat operationem; quia forte intellectus se habet ibi mere passivè. Tum etiam quia habitus non est simpliciter principium agendi, sed sic agendi; nam aliter habitus esset potentia. Ergo intellectus habet quo simpliciter potest acquirere beatitudinem, licet non habeat quo taliter posset in beatitudinem, nisi medianè aliquo habitu.

**Secundo principaliter** arguit sic. Omni potentiae passivæ in natura correspondet aliqua potentia activa in natura. Sed in anima est potentia passiva, quæ naturaliter est receptiva beatitudinis. Ergo sibi correspondet aliqua potentia activa naturalis. Ergo intellectus, sine tali habitu, sola naturali actione, potest consequi beatitudinem.

**Tertio.** Quia perfectio inferior potest unitive contineri in perfectione superiori, ut patet in essentiali ordine specierum. Sed quodcumque accidens est imperfectius quam sit natura intellectualis. Ergo, si aliqua natura intellectualis indiget tali habitu ad consequendum suum finem, sicut aliqua natura intellectualis in tanto gradu in quanto habitus est necessarius naturæ intellectuali inferiori; ergo poterit ex puris naturalibus consequi beatitudinem. — Haec Scotus.

**II. Argumenta Aureoli.** — Contra eamdem arguit Aureolus (*Quodlibeto 9, art. 3*) multipliciter.

Et primo vult probare quod lumen glorie non requiratur ad hoc quod, illo mediante, intellectus agens cooperetur divinæ essentiæ in causando visionem beatificam.

**Primo.** Quia quod est intellectum in actu, et nullo modo intelligibile in potentia, potest de se sufficienter causare intellectionem in intellectu, absque hoc quod aliquid sibi cooperetur. Propter hoc enim ponitur intellectus cooperari phantasie, quia phantasma est intelligibile in potentia; et non intelligibile in actu; unde Commentator, *3. de Anima*, com. 18, dicit quod, si universalia essent extra animam, sicut posuit Plato, non indigeremus ( $\delta$ ) intel-

( $\alpha$ ) in. — Ad. Pr.

( $\delta$ ) Primo. — Om. Pr.

( $\gamma$ ) sed. — Ad. Pr.

( $\alpha$ ) requireretur. — requiretur Pr.

( $\delta$ ) indigeremus. — indigemus Pr.

lectu agente, neque esset aliqua necessitas in ponendo illum. Videmus etiam quod calidum in actu potest generare calorem, absque aliquo coagente; et sensibile sensationem. Sed constat quod Deus non est intelligibilis in potentia, immo est summe intelligibilis in actu. Ergo potest sui intellectionem causare in potentia, absque hoc quod coagat sibi intellectus agens.

*Secundo.* Quia actio intellectus agentis est principalis, phantasmatis autem ( $\alpha$ ) instrumentalis. Aut ergo in visione beatifica intellectus agens est principalis, et essentia divina agens instrumentale; aut econtra. Sed non potest dici primum: quia tunc homo ex puris naturalibus principaliter beatificaretur. Nec potest dari secundum: quia tunc variabitur activitas agentis, et fieret de agente principali agens instrumentale. Ergo nullo modo causat visionem beatificam.

*Tertio.* Quia illud quod habet mere et essentialiter rationem reddit pro merito, debet esse totaliter a præmiante effective, et nullo modo a præmium recipiente: nam, si detur oppositum, non habebit ex toto rationem præmii sed partialiter tantum. Sed constat quod visio beatifica est totaliter merces, et præmium quod pro merito redditur. Ergo ex toto est a Deo præmiante.

Confirmatur per illud Philosophi, 1. *Ethicorum* (cap. 9): *Si aliquid est donum Deorum hominibus, rationabile est felicitatem Dei datum esse, et ( $\epsilon$ ) maxime humanorum quanto optimum.*

*Quarto.* Illud quod habet summum et insimum in virtute, videtur habere quodlibet medium. Sed constat quod intellectus agens habet in virtute intentiones rerum materialium, quæ sunt insimæ. Ergo, si habet in virtute visionem beatificam, quæ summa est inter intellections; sequitur quod habebit in virtute omnes intellections creaturarum possibilium, dato quod sint infinitæ ( $\gamma$ ) possibles, secundum opinionem multorum; et, secundum hoc, erit infinitus in virtute. Ergo.

*Quinto.* Quandocumque in aliquo genere inveniuntur aliquid ignobilius excedens facultatem nature, videtur quod nobilissimum in illo genere multo fortius excedat. Sed inter ea quæ spectant ad intellectum, reperiuntur quedam quæ naturam excedunt, nec sunt in virtute intellectus agentis aliquo modo, ut donum fidei, vel habitus sapientiae et intellectus; constat autem quod ista ignobiliora sunt quam actus visionis beatæ. Ergo visio beata nullo modo continetur in virtute intellectus agentis.

*Secundo loco* probat quod non exigitur lumen gloriae ad vigorandum intellectum possibilem ut suscipiat beatificam visionem, aut ad ipsum elevan-

dum aut ponendum in esse potestativo ut possit suscipere.

*Primo.* Quia illud non indiget vigorari respectu alieujus objecti, quod ab illo objecto passione ( $\alpha$ ) abjectiva non patitur: propter hoc enim oculus noctuae indiget vigoratione, si debet aspicere rotam solis, quia obrueretur, et aliquid abjiceretur a substantia ejus, ratione suæ materialitatis et possibilitatis. Sed constat quod intellectus possibilis non patitur passione ( $\epsilon$ ) abjectiva, cum sit immaterialis, ab objecto quocumque, etiam a divina essentia; immo magis perficitur. Ergo non indiget vigoratione ad hoc quod divinam essentiam intueatur. — Et confirmatur per illud 3. de *Anima* (t. c. 7): *Intellectus, postquam intellexit maxima intelligibilia ( $\gamma$ ), non minus intelligit, immo ( $\delta$ ) magis.*

*Secundo.* Sicut se habet materia prima in genere sensibilium ( $\epsilon$ ), sic intellectus possibilis in genere intelligibilium. Sed nullus diceret quod materia prima indigeat vigorari, cum nullum vigorem intrinsece habeat, sed sit pura potentia, præcipue respectu nobilissimæ formæ ( $\zeta$ ), quæ est anima rationalis, secundum sic opinantes; immo eam immediate suscepit. Ergo intellectus possibilis immediate poterit suscipere nobilissimum actum ad quem est in potentia, scilicet visionem divinæ essentiae; nec intellectus vigorabitur, cum sit potentia pura.

*Tertio.* Quia: aut illud lumen elevaret aut vigoraret intellectum possibilem, tanquam dispositio medians inter potentiam et actum in recipiendo, sicut mediat superficies inter corpus et colorem (quia proprium est superficie primo loco colorari, et, mediante ea, inest corpori); aut sicut dispositio medians inter potentiam et agens in patiendo, sicut mediat mollities inter ceram et sigillum (non enim mediat inter ceram et figuram, quasi figura primo insit mollitiei, sed inter ceram et sigillum, quia nec sigillum posset figuram imprimere, nec cera pati, nisi ratione mollitiei). Sed non potest dici quod requiratur talis habitus propter primum. Tum quia actus visionis primo inesset illi habitui, et, per consequens, esset primo beatus; et ideo, si separaretur ab intellectu, fieret beatus, sicut superficies colorata. Tum quia actus beatificus immediate perficit intellectum et voluntatem, in quibus consistit imago Trinitatis; quia ex hoc quod anima est imago Dei, beatitudinis particeps esse potest. Tum quia nullus actus immediatus perficit intellectum quam visio divinæ essentiae, præcipue cum intellectus possibilis sit susceptivum immediatum omnis actus. Nec potest etiam dari secundum. Tum quia tale medium non requiri-

( $\alpha$ ) *passione.* — *passive Pr.*

( $\epsilon$ ) *passione.* — *passive Pr.*

( $\gamma$ ) *intelligibilia.* — *intelligentia Pr.*

( $\delta$ ) *primo.* — *Ad Pr.*

( $\epsilon$ ) *sensibilium.* — *scibilium Pr.*

( $\zeta$ ) *formæ.* — *Om. Pr.*

( $\alpha$ ) *autem.* — *aut Pr.*

( $\epsilon$ ) *et.* — *Om. Pr.*

( $\gamma$ ) *infinitæ.* — *infinite Pr.*

ritur nisi propter defectum agentis; unde Deus posset imprimere omnem figuram in cera, nec indigeret molitie. Tum quia Deus posset immediate intellectui imprimere quidquid intellectus potest immediate recipere; immediate autem potest recipere visionem beatificam, sicut probatum est. Ergo non requiritur lumen ad elevandum vel vigorandum intellectum possibilem.

**Tertio loco** probatur quod lumen gloriae ponendum est directe propter intellectum agentem, sed consecutive propter intellectum possibilem.

Primam partem probat. **Primo** (α) : Quia constat quod lumen gloriae non ponitur nisi ad elevandum et vigorandum et ampliandum lumen connaturale (6), quod est defectuosum, sicut diffinit Decretalis, lib. 7; tit. *de Hæreticis*, cap. *Ad nostrum* (7). Sed nullum lumen naturale est in intellectu nisi lumen intellectus agentis : alioquin, si intellectus possibilis habeat claritatem per se, et non sit omnis claritas ejus naturalis ex parte intellectus agentis, sequitur quod sunt in nobis duo lumina, et superfluit alterum, quia sufficit unum; unde intellectus possibilis solum habet recipere. Sed vigor et claritas secundum quam recipit, est intellectus agens. Ergo lumen gloriae ponendum est directe et per se ex parte intellectus agentis, cujus defectum supplet.

**Secundo.** Quia lux illa incorporea, in qua et sub qua, secundum Augustinum, mens rationalis videt quidquid videt, oportet quod sit lux vitalis per essentiam, utpote intellectus in actu, vel saltem reducibilis aliquo modo ad istam lucem. Non enim potest habere per se aliqua qualitas non vitalis introitum ad actum vitalem per modum clarificantis et illuminantis, nisi per hoc quod reducitur ad illud lumen quod est per essentiam vita. Et est exemplum ad hoc : quod figura nullam causalitatem habet per se super actum penetrandi, nisi quatenus est dispositio ferri quod penetrat. Sed constat quod lumen gloriae est lux quedam incorporea in qua et sub qua videatur divina essentia; nec tamen est lux vitalis per essentiam. Ergo necesse est quod reducatur ad illud quod est claritas vitalis per essentiam; et illud est intellectus agens.

**Tertio.** Quando aliud constituitur sufficienter ex tribus, si ponitur aliud ad intendendum, poni debet ex parte illius sub cuius habitudine intenditur: Exemplum est ad hoc de domo, ad quam concurrunt paries, fundamentum et tectum; si quis autem vellit domum ampliare ex parte tecti, non adderet ex parte fundamenti. Sed constat, ut dicit se probasse, quod ad actum cognoscendi concurrit

intellectus possibilis; et qualitas actualis repræsentativa objecti, quæ communi nomine dicitur actus; et claritas aut vigor spiritualis ipsius animæ, quæ non est aliud quam intellectus agens. Concurrit autem intellectus possibilis receptive; qualitas vero assimilative et repræsentative; claritas vero agentis quasi directive et illustrative, quia in illa et sub illa cernitur objectum. Constat etiam quod lumen gloriae ponitur ad actum beatificum concurrere sub ista habitudine, ut scilicet in eo et sub eo videatur objectum. Igitur reducitur ad claritatem intellectus agentis per se et directe.

**Præterea** (α). Secunda vero pars propositionis patet. Quia quando aliud est perfectio alicujus aut ampliatio ejus, necesse est quod concomitative et consecutive sit ampliatio effectus formalis illius in subjecto in quo recipitur : ut quia lux est in diaphano subjective, si luci stellari addatur lux lunaris in diaphano, quamvis una lux intendat aliam de per se et directe, tamen diaphanum erit luminosius consecutive et participative. Sed intellectus agens est perfectio intellectus possibilis, et actus in eo, cum non sit nisi claritas et vigor intellectualis. Ergo lumen gloriae, quod ponitur ad intelligendum et ampliandum claritatem agentis, participative in possibilem redundabit. Unde intellectus possibilis dicitur clarus et vigorosus claritate et vigore qui est agens, sicut diaphanum dicitur clarum claritate quæ est lux corporea. Cum ergo vigoretur claritas naturalis per lumen gloriae, sequitur quod intellectus possibilis sit clarior et luminosior quam ante, etc.

**Ultimo** (6). Ambæ etiam partes propositionis simul patent in exemplo oculi corporalis, qui, quando caligat, indiget illustrari, si deberet videre aliquem colorem. Constat enim quod talis illustratio est propter defectum connaturalis claritatis; et ideo ponetur directe ad vigorandum illam; et tamen participative diaphanum oculi esset vigorosius, et magis illuminatum.

**Quarto loco** proponit quatuor dubia contra positionem suam et nostram.

**Primum** dubium est. Quia quemcumque vigorem potest Deus dare per aliquod reale accidens, videtur quod possit dare intellectui alicui per essentiam; unde illum gradum vigoris quem posset dare oculo noctuæ per qualitatem superadditam ad videntum rotam solis, dedit oculo aquilæ per suam naturam. Poterit ergo facere aliquem intellectum, qui habebit per essentiam tantam claritatem quantum habet intellectus inferior cum lumine gloriae superaddito; et sic talis intellectus non indigebit lumine gloriae.

**Secundum** dubium est : Quia illam claritatem, in qua deficit intellectus in naturalibus constitutus,

(α) *Primo.* — Om. Pr.

(6) *connaturale.* — *generale* Pr.

(7) *Clementina 3, de Hæreticis.* — Aureolus collectio nem Clementinarum sub nomine *Libri septimi* designat, sicut olim mos erat; quo titulo eam ipse Papa Johannes XXII designavisse perhibetur.

(α) *Præterea.* — Om. Pr.

(6) *Ultimo.* — Om. Pr.

videtur quod possit supplere perfectio actus beatifici, et claritas sua.

*Tertium* dubium est : Quia Deus immediate potest facere quidquid facit mediante creatura. Sed, mediante claritate luminis gloriæ, facit quod intellectus videt Deum. Ergo immediate poterit sine illa.

*Quartum* dubium est : Quia qualitas quæ est alii cui accidentalis, potest alteri esse connaturalis : ut caliditas, quæ est accidentalis in aqua, est connaturalis igni. Poterit ergo Deus lumen gloriæ alicui connaturale facere, et per consequens intellectus ille videbit Deum in lumine naturali.

*Quinto loco* (eod. *Quodlib.*, art. 4) recitat opinionem quorundam dicentium quod de facto (x) non est ibi lumen aliud nisi ipsa visio clara et facialis : quæ dicitur habitus; ratione perpetuae permanentie; et dicitur lumen, ratione manifestationis objecti, quia divinam essentiam manifestat. Nec quæcumque auctoritates cogunt ut aliud lumen ab actu ponatur.

*Primo.* Illud enim quod dicitur in Psalmo 35 (v. 10), *In lumine tuo videbimus lumen*, potest sic intelligi, quod in lumine quod (y) est actus, videbimus lumen objectivum, quod est Deus.

*Secundo.* Illa auctoritas quæ scribitur, *Apocal.* 21 (v. 23), quod *civitas illa non eget sole et luna, sed claritas Dei illuminabit eam*, intelligitur de claritate actus beatifici, qua universa civitas beatorum illuminabitur.

*Tertio.* Ista auctoritas, Isaiae 60 (v. 19), scripta, *Non erit tibi amplius sol ad lucendum, et splendor lumen non illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam*, intelligitur, secundum glossam interlinearem, de visione divinae essentiae; et ita non de habitu, sed de actu.

*Quarto.* Illa 1. *ad Timotheum* (cap. 6, v. 16), *Lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominem vidit*, secundum glossam Augustini, exponitur quod nemo eum videt nisi ex dono ejus; actus autem, cum sit supernaturalis, est donum Dei.

*Quinto* (y). Illa 1. *Johannis*, cap. 3 (v. 2), *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, non potest exponi sicut aliqui exponunt, quod exigatur habitus, qui faciat istam similitudinem; quoniam expresse auctoritas dicit quod visio faciet eam.

*Sexto.* Illa Salvatoris, Matth. 5 (v. 8), *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, non cogit ponere talem habitum, qui sit lumen gloriæ : quia ista cordis munditia se habet per modum meriti, cui re promittitur visio Dei; lumen autem, si poneretur, non esset principium merendi.

*Septimo.* Quia decretalis libri septimi (z), Extra, de *Haereticis*, cap. *Ad nostrum*, quæ dicit inter alios errores illum qui ponit quod *anima rationalis per naturam potest esse beata*, quodque *non indigemus lumine gloriæ elevante ad Deum videndum et beate fruendum*, non concludit habitum : quia, sicut habitus elevat potentiam effective, sic actus elevat formaliter; unde error est dicere quod non indigemus lumine, id est, actu supernaturali. Et quod iste sit intellectus, patet ex principio articuli : quia dicitur quod anima rationalis potest esse beata per naturam; hoc autem sufficienter excluditur, dato quod non ponatur habitus supernaturalis, sed actus.

*Octavo.* Illa auctoritas Augustini (y), dicentis (lib. *de Spiritu et anima*, c. 12), quod *anima nisi participatione divini luminis non est beata* (z), intelligitur de lumine objectivo, quod Deus est, qui participatur per actum. Et universaliter nulla auctoritas videtur ex suo vero intellectu ponere habitum vel lumen distinctum ab actu. Quare, cum Deus et natura nihil faciant frustra, et præcipue in statu illæ perpetuo et finali, et non appareat illa necessitas aut auctoritas qua debeat poni, negandus est talis habitus, vel lumen gloriæ, præter actum. — Hæc Aureolus, in quodam *Quodlibeto*, licet non eodem ordine.

**III. Argumenta Durandi.** — Contra eamdem conclusionem arguit Durandus (dist. 49, q. 2), dicens : Quod lumen gloriæ requiratur ad confortandum intellectum ut eliciat actum beatificæ visionis, non potest intelligi nisi duplice. Uno modo, quod per confirmationem intellectus nostri a lumine gloriæ, virtus ejus intendatur, et intensa elevetur ad visionem divinæ essentiae, ad quam prius pertinere non poterat. Alio modo, quod intellectus noster et illud lumen, tanquam duo imperfecta agentia, suppleant vicem unius perfecti agentis, respectu talis visionis : quemadmodum duo trahunt navem, quorum duorum neuter sufficeret per se trahere; et duæ candele causant lumen intensum, quod neutra per se sufficeret causare. — Primum dici non potest, propter duo. Primum est, quia intellectus

(x) libri septimi. — septima Pr. — Cfr. pag. 200, col. 1, not. (y).

(y) Non Augustino sed alteri auctori attribuendus est liber *de Spiritu et anima*.

(z) Verba auctoris libri *de Spiritu et anima* sunt sequentia : *Etsi spiritus rationalis ex dono Creatoris habilis est ad cognoscendum verum et diligendum bonum, tamen nisi interioris lucis radio fuerit perfusus et calore succensus, nunquam consequitur sapientiam cognitionem vel charitatis affectum. Intellectus et intelligentia juvantur superioris; quia Deus ignis et lux est... Et sicut solem non videt oculus nisi in lumine solis; sic verum ac divinum lumen non poterit intelligentia videre nisi in ipsius lumine.*

(x) *de facto.* — *defectio* Pr.

(y) *quod.* — *qui* Pr.

(z) *Quinto.* — *Ergo* Pr.

noster non est forma suscipiens magis et minus. Secundo, quia illud quod intendit per se aliud, est tale formaliter, vel virtualiter, sicut illud quod intenditur. Verbi gratia: illud quod intendit calorem, est calidum formaliter, ut ignis; vel virtualiter, ut sol intendit calorem aeris. Dico autem per se: quia contrarium per accidens confortat et intendit; sicut calidum circumstans non ( $\alpha$ ) comburit, vel frigidum circumstans intendit calidum. De quo nihil ad praesens. Lumen autem gloriae non est tale formaliter, qualis est intellectus noster; nec virtualiter, quia lumen gloriae non est causativum virtutis intellectivae. Ergo lumen gloriae non potest confortare intellectum nostrum, ipsum intendendo. — Secundum etiam dici non potest: quia, si intellectus creatus et lumen gloriae supplerent vicem unius perfecti agentis, tunc quodlibet eorum haberet similem virtutem respectu actus intelligendi, sicut duo trahentes navem respectu tractus navis; et ita lumen gloriae esset quedam potentia intellectiva, sicut intellectus noster; quod est inconveniens. — Et si dicatur quod lumen corporale confortat visum, et tamen visus non intenditur nec remittitur per illud, nec visus et lumen corporale sunt duo imperfecta agentia supplentiæ vicem unius agentis perfecti; et sic eodem modo, ut videtur, potest esse circa intellectum nostrum et lumen gloriae; — dicendum est quod non valet. Quia lumen corporale non requiritur tanquam confortans visum, qui secundum se potest in objectum sibi presentatum; sed requiritur ut dispositio medii et organi ad suscipiendum speciem coloris, secundum ponentes visionem fieri per speciem; quia medium vel organum non recipit speciem coloris, nisi sit actu illuminatum, quia color non est natus facere speciem suam in organo vel medio, nisi sint illuminata. Ergo in visione beata non requiritur lumen gloriae ut confortans intellectum; nec ex parte objecti, quasi dans ei virtutem movendi intellectum, cum essentia divina possit hoc de se, sine quacumque virtute creata. Si ergo aliquo modo requiritur, hoc erit ad disponendum intellectum ad suscipiendum actionem objecti, quemadmodum dictum est de lumine corporali respectu medii et organi; quod pertinet ad sequentem articulum.

**Secundo loco** arguit quod lumen gloriae non requiritur ad suscipiendum actum visionis beatæ, quæ est forma supernaturalis et improportionata nature. Cum enim dicitur quod nullum subjectum est susceptivum formæ supernaturalis, nisi disponatur per aliquam dispositionem supernaturalem, — non est verum. Quia dispositio supernaturalis, est quedam forma supernaturalis. Illa ergo aut recipitur immediate in natura, aut mediante alia dispositione. Si immediate, eadem ratione et ( $\beta$ ) quelli-

bet alia forma supernaturalis. Si ( $\alpha$ ) mediate, aut dispositio media erit naturalis, aut supernaturalis. Si naturalis ( $\gamma$ ), habetur quod natura ( $\gamma$ ) ex naturalibus est capax formæ supernaturalis. Si supernaturalis, quæratur quomodo recipitur in subjecto: aut mediante dispositione naturali, aut supernaturali? Et sic proceditur in infinitum, nisi stetur in hoc quod forma supernaturalis recipiatur immediate in intellectu, absque dispositione supernaturali.

**Tertio** arguit contra utramque opinionem communiter. Quia, si requiritur dispositio supernaturalis ad eliciendum actum aut suscipiendum ipsum, hoc non est nisi propter excessum objecti super potentiam, ut per ipsam sit proportionata objecto, quæ secundum se distat in infinitum ab ipso. Sed propter hoc non oportet quod requiratur dispositio supernaturalis: quia, ea addita, adhuc tantum distat potentia ab objecto sicut prius, scilicet in infinitum. Ergo ad hoc non requiritur aliqua dispositio supernaturalis, cum nulla forma vel dispositio possit erigere intellectum ad illud quod non potest secundum seipsum. Nec ad recipiendum formam supernaturalem, vel actum, oportet ponere semper dispositionem supernaturalem; alias esset processus in infinitum.

**Quarto** arguitur. Quia, quidquid sit de facto, an tale lumen gloriae sit in intellectu beato, tamen de possibili tenet Frater Thomas, lib. 4, dist. 49 (q. 2, art. 7), quod beata visio potest communicari homini existenti in puris dispositionibus viæ, et ita non habenti lumen gloriae.

**Quinto** arguit sic. Ubicumque natura et virtus potentiae se extendit ad objectum, præsentato objecto, immediate et per se, et excluso omni impedimento ænigma causante, necessario sequitur cognitio clara et manifesta, qualis possibilis est inter tales potentiam et tale objectum, secundum quemcumque modum. Sed intellectus noster ( $\delta$ ) de se potest in divinam essentiam tanquam in objectum; et totum impedimentum claræ et manifestæ cognitionis divinæ essentiae est quia cognoscitur per medium inferiòris gradus, quod est essentia creata; quod medium potest excludi, ut probabitur. Ergo, hoc excluso, et præsentata divina essentia intellectui, secundum se et ( $\epsilon$ ) immediate sequitur cognitio clara et manifesta, qualis possibilis est intellectui nostro respectu divinæ essentiae. Major patet: quia ex quo potentia potest in objectum, de natura sua potest ( $\zeta$ ) ipsum cognoscere; et, si impedimentum cansans obscuram cognitionem excludatur, consequens est quod potentia cognoscat objectum clare, quantum possi-

( $\alpha$ ) *Si. — Et Pr.*

( $\beta$ ) *naturalis. — supernaturalis Pr.*

( $\gamma$ ) *natura. — nulla Pr.*

( $\delta$ ) *noster. — non Pr.*

( $\epsilon$ ) *et. — Om. Pr.*

( $\zeta$ ) *potest. — Om. Pr.*

bile est. Minor probatur. Quia intellectus noster de se potest cognoscere divinam essentiam. Nam philosophi probaverunt Deum esse quamdam naturam subsistentem, intelligibilem, habentem omnem perfectionem. Quod autem hæc cognitio esset nobis obscura, et eis, causa est quia naturali ordine non cognoverunt, nec nos cognovimus Deum nisi ex creaturis, quæ, cum sint inferioris gradus, non repræsentant ipsum (α) clare et manifeste. Hoc autem impedimentum potest amoveri a virtute divina, quæ potest omne quod non implicat contradictionem. Quod autem intellectus noster, qui secundum ordinem naturæ non consurgit in Dei cognitionem nisi ex creaturis, possit ipsum habere præsens secundum se, et sic eum cognoscere, exclusa prius cognitione creaturarum, nullam contradictionem implicat; quia in actionibus supernaturalibus videmus quod Deus modum *lægendi* immutat. Hoc etiam attestatur omnis opinio circa istam materiam: quia omnes ponunt quod Deus in visione beata immutabit illum ordinem quo nunc cognoscimus ipsum ex creaturis, et repræsentabitur intellectui nostro nullo alio præcognito. Et hæc fuit minor. Sequitur ergo conclusio. Et hanc viam habent tenere necessario illi qui dicunt quod Deus potest visionem immediatam suæ essentiae communicare homini existenti in puris dispositionibus viae; quia isti excludunt speciem repræsentantem et lumen gloriæ a tali visione. Ex quo potest sic argui: Quod essentia divina sit præsens intellectui in ratione objecti, quæ prius non erat sic ei præsens, oportet quod hoc sit vel ex mutatione sui, vel ex mutatione intellectus. Non ex mutatione sui, quia ipsa omnino est immutabilis. Nec ex mutatione intellectus per aliquid receptum (β), quod sit species, vel lumen: quia speciem negant; lumen autem (γ) ponunt ut sit dispositio patriæ; ipsi autem dicunt quod talis potest communicari intellectui habenti solas dispositiones viae. Oportet ergo quod per hoc solum mutetur intellectus, quia mutatur ordo naturalis quem habet in intelligendo (δ), secundum quem non cognoscit Deum nisi ex creaturis. — Hæc ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### § 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Scoti.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus

(α) *ipsum.* — *ipsam* Pr.

(β) *receptum.* — *receptivum* Pr.

(γ) *autem.* — *aut.* Pr.

(δ) *in intelligendo.* — *intendendo* Pr.

supradictis. Et quidem ad objecta Scoti contra primam conclusionem, dicitur primo *ad primum*, quod ratio sancti Thomæ pro conclusione, bene intellecta, procedit recte; nec peccat in consequentiam; nec arguit ex propositionibus non syllogizatis. Cognitio enim, cum sit actus secundus, commensuratur formæ qua cognoscens cognoscit, ut actui primo. Talis autem actus primus, qui est species, vel forma intelligibilis, commensuratur naturæ cognoscendi et potentiae cognoscitive in qua recipitur. Et ideo, si modus essendi objecti cognoscibilis excedat naturalem modum essendi naturæ cognoscitive, potissime quia nec est ejusdem speciei nec ejusdem generis cum tali natura, oportet quod forma qua tale objectum perfecte cognoscitur, sit supra facultatem talis naturæ cognoscitive; et consequenter perfecta cognitio ejusdem objecti sit supra facultatem naturalem talis naturæ cognoscitive. Sic autem est de quolibet intellectu creato respectu divinae essentiae: quia tam intellectus angelicus quam humanus naturaliter sunt limitati ad cognoscendum per formas intelligibiles deficiens a perfecta representatione divinae essentiae, ut ostensum est in primo articulo, tam in probatione primæ quam secundæ conclusionis; et ideo perfecta cognitio divinae essentiae, quæ dicitur visio, est supra facultatem naturalem intellectus angelici et humani. Ad hunc sensum loquitur sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 49, q. 2, art. 6, in solutione tertii argumenti, dicens: « Aliquid potest esse per se magis intelligibile, quod tamen est minus intelligibile alicui intellectui. Quod de intellectu nostro manifeste appetit. Facultas enim intellectus nostri determinatur ad formas sensibiles, quæ per intellectum agentem sunt intellectæ in actu, eo quod phantasmata hoc modo se habent ad intellectum nostrum sicut sensibilia ad sensum, ut dicitur, 3. *de Anima* (t. c. 30); et ideo oportet quod in omne quod intellectus noster naturaliter intelligit, manuducatur per formas sensibiles, ut etiam Dionysius dicit (*de Div. Nom.*, cap. 1); et quia substantiae separatae, quæ sunt per se maxime intelligibles, excedunt genus formarum sensibilium, ideo intellectus noster invenitur debilis ad cognitionem earum; et propter hoc dicitur, 2. *Metaphysicæ* (t. c. 1), quod *intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ sicut oculus noctuae ad solem*. Facultas autem naturalis intellectus angelici, quamvis non sit determinata ad formas sensibiles, est tamen determinata ad formas creatas, quæ sunt sui generis; et ideo, sicut (α) intellectus noster deficit a cognitione substantiarum separatarum, ita et multo amplius deficit intellectus angelicus secundum suam facultatem a visione Dei per essentiam. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione quarti, sic dicit: « *Intellectus creatus non impeditur ab hoc quod*

(α) *sicut.* — *sic* Pr.

naturaliter possit videre Deum per essentiam ex defectu divinæ essentiae, quasi dē se non sit intelligibilis in actu; sed ex parte (α) intellectus creatus. *Primo*, propter defectum intellectivæ virtutis creatæ, cuius naturalis facultas est determinata ad ens creatum. Hic tamen defectus aliter est in homine et angelo, secundum sua naturalia considerando eos. In intellectu enim angeli non invenitur aliquis defectus secundum rationem sui generis; sed secundum comparationem ad intellectum qui est extra genus suum, scilicet intellectum divinum: habet enim omnem perfectionem quæ debetur generi intellectus, in quo non continetur nisi intellectus creatus; intellectus enim increatus est extra genus. Sed intellectus humanus patitur etiam defectum secundum rationem sui generis: quia in eo est lux intellectualis obumbrata; unde Isaac dicit quod ratio oritur in umbra intelligentiae. *Secundo*, propter absentiam intelligibilis. Quamvis enim essentia divina sit intellectui cuilibet præsens, non tamen est præsens cuilibet intellectui ut forma intelligibilis; quod tunc solum accidit quando in intellectu est sufficiens dispositio ad hoc quod sit unibilis divinæ essentiae ut formæ intelligibili. *Tertio*, propter excessum claritatis divinæ essentiae supra formam qua intellectus creatus naturaliter intelligit; et sic per consequens deficit intellectus creatus a videndo divinam essentiam, quamvis immensitas divinæ essentiae intellectum non corrumpt, sed magis confortet. »

— Haec ille. — Simile dicit, *de Veritate*, q. 8, art. 3, in solutione quinti argumenti: « Excellentia, inquit, intelligibilis (ε), quamvis non corrumpt intellectum, cum confortet eum, tamen quandoque excedit representationem formæ qua intellectus intelligit; et ex hac causa intelligibilis excellentia impedit intellectum; et, secundum hoc, verum est quod dicitur, 2. *Metaphysicæ* (t. c. 1), quod *intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ sicut oculus noctua ad lucem solis.* » — Haec ille. — Et, ibide, in solutione tertii et quarti, dicit similia eis quæ dicit in *Quarto*. In solutione siquidem quarti, sic dicit: « Pro tanto substantia intelligibilis (γ) quæ in se maxime intelligibilis est, fit nobis minus intelligibilis, quia excedit formam a sensu abstractam, qua naturaliter intelligimus. Et similiter multo amplius essentia divina excedit formam intelligibilem tam intellectus humani quam angelici. Et ideo intellectus angeli minus intelligit essentiam divinam, quamvis sit magis intelligibilis; sicut et intellectus noster minus (δ) intelligit essentiam angeli, quamvis sit magis intelligibilis quam res sensibilis. » — Haec ille. — Ex quibus patet

quod, cum intellectus creatus naturaliter intelligat per formas deficientes a perfecta representatione divinæ essentiae (quod contingit quia tales formæ commensurantur intellectui creato, et modo essendi naturæ creatæ, qui modus improportionabiliter excedit a modo essendi naturæ increatae), consequens est quod nulla naturalis cognitio intellectus creatus perfecta cognitio naturæ increatae, ac per hoc nec ejus visio.

Dicitur secundo, quod forma arguendi quam arguens format, bona est. Nec minor illius est falsa, immo usquequa vera. Cum enim dicit quod utraque harum propositionum est falsa, scilicet: Modus cognitionis est secundum modum cognoscibilis; et similiter haec: Nulla naturalis cognitio est de objecto cuius natura excedit modum naturæ cognoscentis, etc.; — dicitur quod utraque illarum est vera, si ad mentem sancti Thome intelligatur. De prima quidem patet: nam, secundum eum, ut allegatum est, nulla cognitio est perfecta nisi fiat per formam perfecte representantem ipsum cognoscibile; et sic oportet quod modus cognitionis sit secundum modum cognoscibilis, quoad hoc. Secunda similiter patet: quia nulla naturalis cognitio, cuius principium est forma commensurata naturæ cognitivæ, et difficiliter representans objectum cognitum, est visio talis objecti per essentiam; oportet ergo quod perfecta cognitio naturalis aliquo modo commensuretur objecto, et aliquo modo potentiae.

Dicitur tertio, quod improbatio praedictarum propositionum non valet: quia, ut patet per praedicta, perfecta cognitio naturalis est secundum modum cognoscentis, non solum quoad sui principium, quod est species intelligibilis, immo quoad sui objectum et terminum; sicut manifeste patet, 3. *de Anima*, et ad experientiam; quia anima humana, cum sit forma in materia, et habeat esse concretum materię, naturaliter non cognoscit perfecte nisi essentias rerum materialium, quæ habent similem modum essendi, scilicet in concretione (α) ad materię; nec recipit species intelligibiles representativas perfecte aliarum essentiæ. Cum autem dicit arguens, quod ex hoc sequitur quod nunquam infimus angelus naturaliter cognosceret superiorum vel supremum angelum, — negatur consequentia. Quia omnes angeli habent eundem modum essendi in genere, scilicet quod quilibet est substantia separata a materia, nullo modo a corpore dependens, nec in esse, nec in operari; et quilibet naturaliter habet species sibi innatas, sufficienter representativas omnium specierum universi, tam corporalium quam spiritualium; et ideo, quia est sufficienter in actu primo respectu talium, potest sufficienter exire in actum secundum, cum voluerit. Secus est de anima humana, quæ, quia naturaliter est actus corporis,

(α) *ex parte.* — existente Pr.

(ε) *intelligibilis.* — *intellectualis* Pr.

(γ) *substantia intelligibilis.* — *divina essentia* Pr.

(δ) *minus.* — Om. Pr.

(α) *concretione.* — *concrezione* Pr.

non perficitur naturaliter speciebus nisi per corpus et phantasmata acceptis, quae non representant essentias nec quidditates nisi rerum materialium; ideoque non potest naturaliter cognoscere quidditates habentes alium modum essendi secundum genus, puta substantias separatas, et multo minus Deum. De hoc sanctus Thomas in questionibus *de Anima*, q. 16, sic dicit: « Anima intellectiva humana ex unione ad corpus habet aspectum inclinatum ad phantasmata; unde non formatur ad intelligendum nisi per species a phantasmatis acceptas. Et huic etiam consonat (z) dictum Dionysii in primo capite *Cœlestis Hierarchia*: dicit enim quod *impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum*. In tantum ergo anima, dum unitur corpori, ad cognitionem substantiarum separatarum ascendere potest, in quantum potest per species a sensibilibus acceptas manuduci. Hoc autem non est ut intelligatur de ipsis quid sunt, cum ille substantiae excedant omnem proportionem horum intelligibilium. Sed possumus hoc modo de ipsis substantiis separatis aliquo modo cognoscere quia sunt; sicut per effectus deficientes devenimus in causas excellentes, ut cognoscamus de eis tantum, quia (ε) sunt, et non quid sunt; et (γ) dum cognoscimus quia sunt causæ excellentes, scimus de eis quia non sunt tales (δ) quales sunt eorum effectus. Et hoc est seire de eis magis quid non sunt quam quid sunt. » — Haec ille. — Patet ergo ex predictis quonodo oportet objectum proportionari potentiae vel naturæ cognitivæ quantum ad modum essendi, et quomodo non: quia scilicet formæ vel species intelligibles sufficienter non representant essentiam vel quidditatem differentem secundum genus in modo essendi a natura cognoscitiva. Dico autem modum essendi differentem secundum genus, vel extra genus. Quia intellectualium substantiarum non est nisi triplex modulus essendi differens secundum genus, et non reducibilis in idem genus: primus est animæ humanæ; secundus est substantiarum separatarum; tertius est divinæ essentie; ut patet in probatione primæ conclusionis. Et, ut breviter omnia predicta perstringam: nullum objectum, cuius modus essendi naturalis excedit naturalem modum essendi naturæ cognoscitivæ, tam quoad esse primum et substantiale, quam quoad esse secundum et accidentale, naturale aut naturaliter acquisibile, potest perfecte cognosci a tali potentia naturaliter. Et ita intelligit sanctus Thomas. Et dico esse accidentale causatum per species intelligibles.

**Ad secundum principale**, negatur consequentia, propter duo. Primo, quia probatio conclusionis

(α) consonat. — obstat Pr.

(ε) quia. — quare Pr.

(γ) et. — Om. Pr.

(δ) tales. — talia Pr.

arguit solum de naturali cognitione, et non de supernaturali; et ideo conceditur quod intellectus beati cum lumine gloriae, vel habitu charitatis, vel quacumque elevatione alia, non potest pertingere ad visionem divinae essentie, quae sit naturalis ipsi intellectui. Secundo, dicta consequentia non valet. Quia per lumen gloriae intellectus beatus efficitur susceptivus formæ intelligibilis, et cujusdam actus primi, quo mediante sufficit elicere supernaturaliter visionem divinæ essentie. Illa autem forma est divina essentia, ut postea videbitur. Talis autem visio, ut dictum est, supra naturalem facultatem cuiuslibet intellectus creati est. Ideo argumentum non valet. Haec solutio fundatur in quadam solutione sancti Thomæ, *de Veritate*, q. 24, art. 8, ad quartum argumentum. Ibidem enim sic dicit: « Ex hoc quod liberum arbitrium est ex nihilo, convenit ei quod non sit naturaliter confirmatum in bono. Nec hoc ei per gratiam conferri potest, ut sit in bono naturaliter confirmatum. Non autem libero arbitrio, secundum quod est ex nihilo, convenit quod nullo modo possit confirmari in bono; sicut nec aeri ex natura sua inest quod nullo modo possit illuminari, sed quod non sit naturaliter lucidus in actu. » — Haec ille. — Applica ad propositum: Intellectus creatus ex suo modo essendi naturali habet quod non possit Deum videre naturaliter; sed non habet quin ex gratia, vel habitu gloriae, possit Deum videre. Item, q. 8, art. 3, arguit sic (decimo-quarto loco): « Quantumcumque perficiatur intelligentia creata lumine gloriae, semper Deus ipsam in infinitum excedit. Si ergo iste excessus impedit visionem Dei per essentiam, nunquam intellectus creatus poterit in statu gloriae pervenire ad videntem Deum per essentiam; quod est absurdum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, ad decimumquartum, quod per lumen gloriae, quamvis intellectus creatus non tantum elevertur quin in infinitum distet ab essentia divina, tamen per illud lumen fit ut intellectus uniatur essentiae divinæ sicut formæ intelligibili; quod aliter fieri non posset. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod causa quare intellectus creatus divinam essentiam naturaliter videre non potest, et tamen cum lumine gloriae superaddito hoc potest, est ista: quia scilicet essentia divina in infinitum excedit non solum intellectum creatum, verum etiam omnem formam qua intellectus creatus sine tali lumine intelligit (z), quia nulla talis forma sufficienter representat divinam essentiam; per lumen autem gloriae habet formam sufficienter representantem, scilicet ipsammet divinam essentiam.

**Ad tertium** dicitur primo, quod inter objectum quod est divina essentia, et quemcumque intellectu-

(α) intellectus creatus sine tali lumine intelligit. — intellectus creatus sine tali lumine intendit Pr.

etum creatum, non est proportio aequalitatis, nec aliqua proportio numeralis, aut geometrica vel arithmeticæ. Nec de hoc oportebat arguentem sollicitari. Nec talis proportio requiritur inter potentiam cognoscitivam et suum objectum. — Dicitur secundo, quod inter potentiam cognoscitivam et suum objectum naturaliter cognoscibile perfecte ab ipsa, requiritur proportio qua est habitudo sufficiens hujus ad illud. Hoc autem non contingit nisi dum potentia habet vel habere potest speciem naturaliter sufficienter representativam objecti. Hoc autem nulli intellectui creato convenit naturaliter respectu objecti quod est divina essentia. — Dicitur tertio, quod radix hujus defectus et improportionis est quia modus essendi cuiuslibet intellectus creati deficit a modo essendi divinæ essentie, non solum secundum speciem aut genus, sed extra omne genus. De predictis sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 8, art. 1, in solutione sexti, sic dicit: « Proportio, proprie loquendo, nihil aliud est quam habitudo quantitatis ad quantitatem, sicut quod una est aequalis alteri, dupla, aut tripla. Et exinde translatum est nomen proportionis, ut habitudo cuiuslibet rei ad aliam rem proportio nominetur: sicut dicitur materia esse proportionata formæ, inquantum se habet ad formam ut materia ejus, non considerata aliqua habitidine quantitatis. Et similiter intellectus creatus, est proportionatus ad videndum divinam essentiam, inquantum se habet ad ipsam quodammodo ut ad formam intelligibilem; quamvis, secundum quantitatem virtutis, nulla possit esse proportio, propter distantiam infinitam. » — Haec ille, — Et intellige quod proportio intellectus creati ad divinam essentiam est per gratiam, non autem per naturam (nisi in potentia multum remota); quia illam proportionem proximam, de qua sanctus Thomas loquitur, facit lumen gloriae, ut supra dictum est (ad secundum).

**Ad quartum** dicitur quod ordinatum in finem supernaturalem non oportet esse sic proportionatum fini, quod per naturam suam possit finem perfecte attingere; sed sufficit quod per naturam vel gratiam, mediate vel immediate, possit illum attingere; loquendo de attinctione perfecta, qualis est beatitudo supernaturalis, et visio divinæ essentie. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 8, art. 3, ubi arguit sic, duodecimo loco: « Natura non deficit in necessariis. Sed attingere finem est maxime de necessariis. Ergo unicuique naturæ provisum est ut possit pertingere ad finem suum. Sed finis propter quem est rationalis creatura, est videre Deum per essentiam. Ergo rationalis creatura ex puris naturalibus potest ad hanc visionem pervenire. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, sicut dicit Philosophus in 2. Cœli et Mundi (t. c. 62 et seq.), in rebus invenitur multiplex gradus perfectionis. Primus enim gradus est

perfectissimus, ut aliquid habeat bonitatem sine motu et sine adminiculo alterius; sicut est perfectissima sanitas in eo qui est sanus sine adminiculo medicinae. Et hic gradus est divinæ perfectionis. Secundus gradus est ejus qui potest consequi perfectam bonitatem cum modico auxilio et parvo motu; sicut ejus qui habet sanitatem cum modico exercitio. Tertius gradus est ejus qui acquirit perfectam bonitatem cum multis motibus; sicut ille qui acquirit sanitatem cum multis exercitiis. Quartus gradus est ejus quod nunquam potest acquirere perfectam bonitatem, sed aliquid de bonitate multis motibus. Quintus gradus est ejus quod non potest acquirere aliquid de bonitate, nec habet aliquem motum ad hoc; sicut est gradus illius in sanitate, qui sanari non potest, unde nullam medicinam accipit. Creaturæ ergo irrationales nullo modo ad perfectam bonitatem, quæ est beatitudo, pertingere possunt; sed pertingunt ad aliquam bonitatem imperfectam, quæ est earum finis naturalis, quam ex vi naturæ suæ consequuntur. Sed creaturæ rationales possunt consequi perfectam bonitatem, id est, beatitudinem; tamen ad consequendum eam indigent pluribus quam naturæ inferiores ad consequendum fines suos. Et ideo, quamvis sint nobiores, non tamen sequitur quod ex propriis naturis possint attingere ad finem suum sicut naturæ inferiores. Quod enim beatitudinem aliquid attingat per seipsum, solius Dei est. » — Haec ille.

**Ad quintum** dicitur quod intellectus creatus ad divinam essentiam non est proportio geometrica, nec arithmeticæ. Quia, loquendo de tali proportione, essentia divina est improportionata cuicunque naturæ creatæ, tam in entitate quam intellectualitate vel intelligibilitate. Et ulterius, dicitur quod divina essentia est intelligibile improportionabile cuicunque intellectui creato in solis naturalibus considerato: quia nullus intellectus creatus ex solis naturalibus est sufficienter in actu primo ad videndum divinam essentiam, sed est improportionatus ad hoc; quia nulla forma creata, substantialis aut accidentalis, naturaliter susceptibilis in tali intellectu, aut naturaliter acquisibilis in illo, sufficienter repræsentat divinam essentiam; et consequenter non potest exire in actum secundum, qui sit visio vel perfecta cognitio Dei, ut saepe dictum est. Sed per lumen gloriae fit proportio inter intellectum creatum et divinam essentiam. De hoc sanctus Thomas, dist. 49, q. 2, art. 1, in solutione sexti, sic dicit: « Quamvis finiti ad infinitum non possit esse proportio, quia excessus infiniti super finitum non est determinatus; potest tamen inter ea esse proportionabilitas, quæ est similitudo proportionum; sicut enim finitum æquatur alicui finito, ita infinito infinitum. Ad hoc autem quod aliquid cognoscatur, quandoque oportet esse proportionem inter cognitionem et cognitum: quia oportet virtutem cogno-

secentis adaequare cognoscibilitatem rei cognite; aequalitas autem proportio quedam est. Quandoque autem non oportet esse proportionem; sicut quando nos cognoscimus Deum, aut e converso, sicut cuius ipse cognoscit creaturas. Et tunc non oportet esse proportionem inter cognoscens et cognitum, sed proportionabilitatem tantum: ut scilicet, sicut se habet cognoscens ad cognoscendum, ita se habeat cognoscibile ad hoc quod cognoscatur. Et talis proportionabilitas sufficit ad hoc quod infinitum cognoscatur a finito, vel e converso. Vel dicendum quod proportio, secundum primam nominis impositionem, significat habitudinem quantitatis ad quantitatem, secundum aliquem determinatum excessum vel adequationem; sed ulterius translatum est ad significandum omnem habitudinem cuiuscumque ad aliud; et per hunc modum dicimus quod materia debet esse proportionata ad formam. Et hoc modo nihil prohibet intellectum nostrum, quamvis finitus ( $\alpha$ ) sit, dici proportionatum ad videndum divinam essentiam infinitam; non tamen ad comprehendendum eam, et hoc propter suam immensitatem. » — Haec ille. — Simile dicit, 4 p., q. 12, art. 1, in solutione quarti.

**II. Ad argumentum Durandi.** — Ad objecta Durandi contra eamdem conclusionem, dicitur primo, quod aliquid cadens sub formali ratione objecti intellectus creatus, excedit proportionem naturalem talis potentiae, ne naturaliter possit tale objectum perfecte attingere; et hoc de per se, propter excellentiam objecti supra actum primum quo talis potentia nata est actuari naturaliter. — Dicitur secundo, quod intellectus creatus proportionem habet ad intelligendum ( $\beta$ ) quidquid continetur substantiatione formalis objecti sui, quod est ens, aliquali cognitione, sive perfecta, sive imperfecta, sive per sui essentiam, sive per sui similitudinem, aut effectum, cognitione quid est, vel quia est, an est, vel quid non est. Idemque conceditur quod omnis intellectus creatus naturalem proportionem habet ad cognoscendum Deum qualicumque cognitione naturali. — Dicitur tertio, quod excellentia alicujus sensibilis de per se excedit naturalem proportionem sensitivae potentiae, sicut claritas solis visum nocturnum, et non solum de per accidens. De hoc sanctus Thomas, in Questionibus ( $\gamma$ ) de Anima, q. 46, in solutione quinti, sic dicit: « Sensus respectu sensibilium excellentium duplē patitur defectum: unum quidem, quia non potest ipsum sensibile excellentem apprehendere, per hoc quod excedit proportionem sensus; alium autem, quia post excellentia sensibilia non percipit minora, et hoc est quia corruptitur organum sensus. Licit ergo intellectus non habeat

aliquid organum quod possit corrupti ab excellenti intelligibili, tamen aliquid excellens intelligibile potest excedere facultatem intellectus nostri in intelligendo. Et tale intelligibile est substantia separata, quae excedit facultatem intellectus nostri, secundum quod est unitus corpori, qui natus est perfici a phantasmatibus, et non a substantiis separatis. » — Haec ille. — Dicitur quarto, quod, dato quod oculus nocturne non habetur a claritate solis, non tamen, hoc posito, talis oculus posset clare videre claritatem solis: quia scilicet non est capax naturaliter actus primi respectu talis visionis, scilicet speciei perfecte representantis claritatem solis. Et consimilis defectus naturaliter concomitantur omnem intellectum creatum respectu divinae essentiae: quia scilicet ratione est naturaliter capax actus primi respectu talis visionis. — Dicitur quinto, quod non est de per accidens, sed de per se, quod intellectus creatus cognoscat Deum ex creaturis naturaliter, et ad altiore gradum cognitionis naturaliter pertingere non possit. — Dicitur sexto, quod, licet intellectus creatus non habeat naturaliter proportionem proximam ad videndum divinam essentiam, tamen non repugnat naturae ejus habere talēm proportionem per gratiam vel gloriam, quia naturaliter est in potentia obedientiali ad suscipiendum talēm proportionem.

### § 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Scoti.** — Ad primum Scotti, contra secundam conclusionem, dicitur primo, quod lumen gloriae necessarium est ad hoc quod intellectus creatus videat Deum per essentiam. Et tale lumen distinctum ab actu visionis requiritur propter duo. Primo quidem requiritur ad recipiendum: non quidem ipsam visionem, quae est actus secundus, sed ad recipiendum divinam essentiam per modum formae intelligibilis ( $\delta$ ) in intellectu possibili, quasi dispositio prima ad actum primum. Secundo, tale lumen requiritur ad elicendū actum visionis. Et quod ista sint de mente sancti Thomae, patet ex praedictis in primo et secundo articulo.

Dicitur secundo, quod argumenta contra primum membrum hujus divisionis non militant, cum non vadant ad mentem sancti Thomae. Non enim ponit quod lumen gloriae sit proxima dispositio necessaria ad suscipiendum actum secundum, qui est visio. Unde, cum dicitur quod habitus non est ratio recipiendi actum in via, nec in patria, patet quod non est contra conclusionem. — Cum autem ulterius dicit quod susceptivum multarum formarum maxime ordinatur ad perfectissimam, etc.; — dicitur quod

( $\alpha$ ) *finitus.* — *falsum* Pr.

( $\beta$ ) *intelligendum.* — *intendendum* Pr.

( $\gamma$ ) *Questionibus.* — *Conclusionibus* Pr.

( $\alpha$ ) *scilicet.* — *si* Pr.

( $\delta$ ) *intelligibilis.* — *intellectualis* Pr.

consequentia illa nullius est apparentiae : quia mutat modum majoritatis in modum immediationis. Sicut patet in simili : quia materia prima maxime ordinatur ad suscipiendum animam rationalem, non tamen sequitur: Ergo immediate ordinatur ad suscipiendum illam. Et similiter, intellectus possibilis maxime ordinatur ad suscipiendum actum secundum, non tamen immediate; immo prius ordinatur ad suscipiendum actum primum, qui est species intelligibilis; et immediatus recipit cognitionem rerum materialium quam cognitionem substantiarum separatarum vel ipsius Dei; sicut clamat tota philosophia et theologia. — Cum autem ulterius dicitur quod si habitus qui est lumen gloriae, requiratur ut perfectius anima vel intellectus perficiatur beatitudine, etc.; — dicitur quod consequentia ibidem facta non valet : quia, sicut species rei visibilis non recipitur in diaphano, nisi sit actuatum lumine, nec tamen lumen recipit speciem coloris, sed est dispositio ad receptionem et ratio recipiendi; sic in proposito, habitus luminis gloriae est dispositio ad recipiendum actum primum, non tamen ille habitus est ullo modo susceptivus talis actus primi, nec actus secundi. De predictis sanctus Thomas, 3. *Contra Gentiles*, cap. 53, sic dicit: « Oportet autem quod ad tam nobilem visionem intellectus creatus per aliquam divinæ bonitatis influentiam elevetur. Impossibile est enim quod illud quod est forma alicujus rei propria, fiat alterius rei forma, nisi res illa participet aliquam similitudinem illius cuius est propria forma; sicut lux non fit actus alicujus corporis, nisi aliquid participet de diaphano. Essentia autem divina est proprie forma intelligibilis intellectus divini, et ei proportionata : nam haec tria in Deo unum sunt, scilicet intelligens, et id (α) quo intelligitur, et quod intelligitur. Impossibile est ergo quod ipsa Dei essentia fiat intelligibilis forma alicujus intellectus creati, nisi per hoc quod aliquam similitudinem intellectus divini intellectus creatus participat. Haec igitur divina similitudinis participatio necessaria est ad hoc quod Dei substantia videatur. — Adhuc : Nihil est susceptivum formæ sublimioris, nisi per aliquam dispositionem ad illius capacitatem elevetur, cum proprius actus in propria potentia sit. Essentia autem divina est forma altior omni intellectu creato. Ad hoc ergo quod essentia divina fiat intelligibilis species alicujus intellectus creati (quod requiritur ad hoc quod divina substantia videatur), necesse est quod intellectus creatus aliqua dispositione sublimiori ad hoc elevetur. » — Haec ille. — Similia dicit in multis aliis locis, potissimum, 4<sup>o</sup> p., q. 12, art. 2 et 5.

Dicitur tertio, quod argumenta facta contra secundum membrum divisionis non procedunt. Dicitur enim quod lumen illud requiritur ad vigorandum

intellectum creatum, ut possit elicere actum secundum, qui est visio divinæ essentiæ. De hoc sanctus Thomas, 3. *Contra Gentiles*, ubi supra (cap. 53), sic dicit: « Nihil potest ad altiore operationem elevari, nisi per hoc quod ejus virtus fortificatur. Contingit autem duplicitate alicujus virtutem fortificari. Uno modo, per simplicem ipsius virtutis intentionem; sicut virtus alicujus calidi augetur secundum intentionem caloris, ut possit elicere vehementiorem actionem in eadem specie. Alio modo, per novæ formæ appositionem; sicut diaphani virtus augetur ad hoc quod possit illuminare, per hoc quod fit (α) lucidum actu per formam lucis in ipso receptam de novo (ε). Et hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius speciei operationem consequendam. Virtus autem intellectus creati naturalis non sufficit ad divinam substantiam videndam. Oportet ergo quod augeatur ei virtus, ad hoc quod ad talern visionem perveniat. Non sufficit autem augmentum per intentionem naturalis virtutis : quia talis visio non est ejusdem rationis cum visione naturali intellectus creati; quod ex distantia visorum patet. Oportet ergo quod fiat augmentum virtutis intellective (γ) per alicujus novæ dispositionis adaptionem. » — Haec ille. — Similia dicit, 1 p., ubi supra (q. 12, art. 5). — Cum autem objicit arguens contra istam partem divisionis, primo, quia in tali visione intellectus se habet mere passive, et non active, etc.; — negandum est : quia intelligere est actio immanens, et idem (δ) habet pro subjecto et pro efficiente; unde per nullum actum intelligendi potest intellectus creatus intelligere, nisi coexistat illud una cum objecto vel specie intelligibili objecti. Tum etiam quia, quidquid sit de potentia Dei absolute, tamen de facto visio beatifica dependet effective a potentia intellectiva, ut ostendit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 2, q<sup>la</sup> 2, in solutione secundi argumenti. Et de hoc satis dictum fuit in quæstione qua quereretur utrum beatitudo sit actus vel operatio (ε). — Cum autem ulterius dicit quod habitus non est principium simpliciter agendi, etc.; responsum est alias (ζ). Quia hoc generaliter falsum est de habitibus intellectuibus, qui dicuntur species intelligibiles. Quælibet enim talis species, cum sit radicata in intellectu, est quidam habitus; et tamen est principium agendi simpliciter, et non solum sic agendi. Nisi dicamus cum sancto Thoma, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 49, q. 1, art. 2, q<sup>la</sup> 2; ad 2<sup>nd</sup>), quod « in actu duo consideranda sunt, scilicet substantia actus, et forma ipsius, a qua perfectionem habet actus. Ergo secun-

(α) *fit.* — *sit* Pr.

(ε) *in potentia.* — *Ad* Pr.

(γ) *intellective.* — *intensivæ* Pr.

(δ) *idem.* — *hoc* Pr.

(ε) *Cfr.* dist. præs., q. 1.

(ζ) *Cfr.* 3. *Sentent.*, dist. 23, q. 1.

dum suam substantiam principium est naturalis potentia; sed secundum suam formam principium ejus est habitus. Si ergo habitus ille sit acquisitus, totaliter nostri actus causa erimus. Si vero fuerit infusus, ejus perfectio erit a causa exteriori, quæ habitum causat. Actus autem noster non ponitur beatitudo, nisi ratione sue perfectionis, ex qua habet quod fini exteriori nobilissime conjungatur. Et ideo nostræ beatitudinis nos non sumus causa, sed Deus. » — Haec ille. — Et de hoc alias (dist. præs., q. 1) satis fuit dictum.

**Ad secundum principale** dicitur quod in anima non est aliqua potentia naturalis passiva, quæ immediate naturaliter sit receptiva beatitudinis quoad actum primum, ut patet ex dictis. Et ideo non oportet quod correspondeat ei aliqua potentia activa in natura, quæ sufficiat sine supernaturali elevatione educere animam in actum secundum. Sed tam activa quam passiva indigent elevatione, scilicet intellectus possibilis, qui est passivus et receptivus quoad actum primum, et activus quoad actum secundum.

**Ad tertium** negatur minor. Dicitur enim quod lumen glorie perfectius est quacumque natura intellectuali creata secundum unum modum, licet sit imperfectius ( $\alpha$ ) secundum alium modum. Ideo que non potest esse naturale, nec unitive contineri in quacumque substantia intellectuali creata. De hoc sanctus Thomas, in diversis locis. Nam, praesenti distinctione, q. 2, art. 6, arguit sic; septimo loco: « Ad immensitatem divinae liberalitatis pertinet ut creature communicet omne id cuius ipsa est capax. Sed creatura est capax hujus muneris, quod ex propriis naturalibus Deum videre possit per essentiam: ad hoc enim quod Deum per essentiam videat, potest pertingere per lumen glorie; quod quidem lumen, sicut est naturæ superadditum, ita posset a Deo esse naturæ inditum. Ergo aliqui creature conserri potest, vel collatum est, quod ex propriis naturalibus pertingat ad videndum Deum per essentiam. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod non quidquid superadditur creature, potest esse de constitutione ipsius naturæ. Illud enim quod ad proprietatem naturæ superioris pertinet, non potest communicari inferiori, ut illud naturaliter habeat, nisi transferatur in superiore naturam: sicut liaphano non potest communicari ut absente lucido luceat, nisi ipsum lucidum fiat; quamvis ei lumen corpore lucido communicetur. Determinari autem id formam intelligibilem increatam est proprietas intellectus increati. Et ideo illud lumen, per quod intellectus unitur forme intelligibili increata, communicari quidem potest intellectui creato, sed non ut ipsum lumen naturaliter habeat, nisi in

naturam intellectus increati transferatur; quod est impossibile. » — Haec ille. — Simile dicit, 4 p., q. 12, art. 5, in solutione tertii argumenti; et aliis locis. — Et haec sufficiunt ad objecta Scoti.

**II. Ad argumenta Aureoli.** — Ad objecta Aureoli contra eamdem conclusionem in primo loco posita, dicitur primo, in communione, ad omnia, quod gratis conceditur quod intellectus agens nullam habet actionem in visione beatifica. Quia omnis et sola ejus actio est intelligibilia in potentia facere intelligibilia in actu; vel, dato quod habeat aliam actionem, illa tamen supponit praedictam. Quod non habet locum in beatifica visione, in qua divina essentia se habet per modum formæ intelligibilis principiantis visionem, et per modum objecti terminantis eam; illa autem est summe intelligibilis in actu, tam in se quam respectu intellectus creati perfusi lumine gloriae. Ideoque conceditur quod visio beatifica in anima rationali subjective et partialiter est ( $\alpha$ ) effective ab intellectu possibili, et nullo modo ab intellectu agente. Et multo minus in angelis, in quibus non est intellectus agens, de quo Aristoteles loquitur, distinctus contra intellectum possibilem. De hoc sanctus Thomas, 4 p., q. 54, art. 4, ubi querit utrum in angelis sit intellectus agens et possibilis; et similiter in multis aliis locis.

Dicitur secundo, quod omnis actualis intellectio, ut dictum est, partialiter effective est ab intellectu possibili, et partialiter a specie vel formâ intelligibili. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 8, art. 6, sic dicit: « Duplex est actio. Una que ( $\delta$ ) procedit ab agente in rem exteriorem quam transmutat, ut est illuminare; que etiam actio nominatur proprie. Alia vero est actio, que non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente, ut perfectio ipsius; et haec proprie dicitur operatio; et haec est sicut lucere. Hoc autem duas actiones in hoc convenient, quod utraque non progreditur nisi ab existente in actu, secundum quod est actu; unde corpus non lucet nisi secundum quod habet lucem in actu, et similiter non illuminat. Actio autem appetitus et sensus et intellectus non est sicut actio progrediens in materiam exteriorem, sed sicut actio consistens in ipso agente, ut perfectio ejus. Et ideo oportet quidem quod intelligens, secundum quod intelligit, sit actu. Non autem oportet quod intelligens ( $\gamma$ ) intelligendo sit ut agens; et intellectum ut passum; sed intelligens et intellectum, prout ex eis est effectum unum quid, quod est intellectus ( $\delta$ ) in actu, sunt unum principium hujus actus qui ( $\epsilon$ ) est

( $\alpha$ ) est. — Om. Pr.

( $\beta$ ) que. — autem Pr.

( $\gamma$ ) a verbis secundum quod usque ad intelligens, omni Pr.

( $\delta$ ) intellectus. — intellectum Pr.

( $\epsilon$ ) qui. — aut Pr.

intelligere. Et dico ex eis effici unum quid, in quantum intellectum conjungitur intelligenti, sive per essentiam suam, sive per similitudinem. Unde intellectus non se habet ut agens vel ut patiens, nisi per accidens, in quantum scilicet ad hoc quod intelligibile iniatur intellectui, requiritur aliqua actio vel passio: actio quidem secundum quod intellectus agens facit species intelligibiles esse in actu; passio autem, secundum quod intellectus possibilis recipit species intelligibiles, et sensus species sensibiles. Sed ( $\alpha$ ) hoc quod est intelligere, consequitur ad hanc passionem et actionem, sicut effectus ad causam. Sicut ergo corpus lucidum lucet quando lux est actu in ipso, ita intellectus intelligit omne quod est actu intelligibile in eo. Sciendum est ergo quod nihil prohibet esse aliquid actu unum, et potentia alterum: sicut corpus diaphanum, est actu quidem corpus, sed potentia tantum coloratum. Et similiter est possibile esse aliquid actu ens, quod in genere intelligibilium est potentia tantum. Sieut enim sunt gradus in entibus actus et potentiae, quod aliquid est potentia tantum, ut materia prima, aliquid actu tantum, ut Deus, aliquid actu et potentia, ut omnia intermedia; sic est in genere intelligibilium, aliquid ut actu tantum, scilicet essentia divina, aliquid ut potentia tantum, ut intellectus possibilis, qui hoc modo se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine sensibilium, sieut dicit Commentator in 3. de *Anima* (com. 19); omnes autem substantiae angelicae sunt mediae, habentes aliquid de potentia et aliquid de actu, non solum in genere entium, sed in ordine intelligibilium. Sicut ergo materia prima non potest agere aliquam actionem nisi perficiatur per formam (et tunc actio illa est quædam emanatio formæ ipsius magis quam materie), res autem existentes in actu possunt agere actiones, secundum quod sunt in actu; ita intellectus noster possibilis nihil potest intelligere antequam perficiatur forma intelligibili in actu; tunc enim intelligit rem cuius est illa forma; nihil enim potest intelligere nisi per formam intelligibilem actu existentem. Intellectus vero angeli, quia habet essentiam quæ est ut actus in genere intelligibilium, sibi ( $\beta$ ) præsentem, potest intelligere illud quod est intelligibile apud ipsum, scilicet ( $\gamma$ ) essentiam suam, non per aliquam similitudinem, sed per seipsam. » — Hæc ille. — Simile dicit, 1 p., q. 56, art. 1; et multis aliis locis ( $\delta$ ). Ex quibus patet quod, secundum mentem ejus, sicut ex materia et forma constituitur unum efficiens actionum sensibilium, ita ex intellectu possibili et specie intelligibili constituitur unum effectivum actus intelligendi. Patet ergo quod

*prima duo argumenta* Aureoli contra conclusiōnem non procedunt.

*Ad tertium* dititur quod visio beatifica, in quantum est beatifica, a solo Deo est, et non ab intellectu agente vel possibili. Sed nihil prohibet quin alio modo sit effectiva ab intellectu possibili, ut superius dictum fuit.

Ad confirmationem, dicitur quod ex dicto Philosophi habetur quod felicitas sit a Deo specialiter coagente. Sed per hoc non excluditur quin felicitas sit operatio elicita a felici; immo expresse Philosophus sentit oppositum, 1. *Ethic.* (cap. 8), et 10 (cap. 6 et 7), ubi vult quod felicitas sit ( $\alpha$ ) operatio optimæ potentiae, respectu optimi objecti, et secundum optimum habitum. Et sic consequenter beatus non se habet mere passive ad suum præmium, loquendo de actu secundo. Secus est de actu primo, quod est dos et lumen gloriae.

*Ad quartum et quintum* dicitur quod solum concludunt quod visio divinae essentiae non continetur in virtute intellectus agentis aut possibilis tanquam agentis principalis, et propria et naturali virtute potentis in illam visionem, quoad actum primum vel secundum. Sed cum hoc stat quod intellectus creatus, factus divina virtute sufficienter in actu primo respectu visionis divinae essentiae, potest cum illo actu primo elicere actum secundum; sic tamen quod principalitas agendi attribuatur actui primo, que scilicet est essentia divina, ut in sequenti questione habebit.

Sed contra predicta arguit Aureolus (*Quodlibeto* 9, art. 2), probando quod nulla activitas est attribuenda intellectui possibili respectu actus intelligendi. Dicit enim sic: Omnis activitas quæ est circa intellectionem, attribuenda est intellectui agenti, et nulla possibili. Idecirco solum ille appellatur lumen, 8. *de Anima* (l. c. 18), a Philosopho, ubi dicitur quod est habitus vel lumen; et ab Augustino, 12. *de Trinitate*, cap. ultimo, et in pluribus aliis locis. Hanc autem propositionem pono contra illam opinionem quæ dicit quod intellectus possibilis est passivus in recipiendo speciem, sed est activus una cum specie ad intellectionem, præcipue in componendo et dividendo et discurrendo. Sed, hoc non obstante, propositio opposita vera est. Quod patet.

*Primo.* Quia, sieut se habet materia prima in genere sensibilium, sic intellectus possibilis in genere intelligibilium. Sed prima materia, cum careat omni actu, et sit pura potentia, nullam habet activitatem in genere sensibilium; nec etiam coagit formæ receptæ, tanquam principium agendi. Ergo nec intellectus possibilis habet aliquam actionem in genere intelligibilium, nec coagit sicut causa partialis speciei receptæ ad intellectionem.

*Secundo.* Quia qui omne dicit, nihil excludit.

( $\alpha$ ) *Sed.* — *secundum* Pr.

( $\beta$ ) *sibi.* — *etiam* Pr.

( $\gamma$ ) *scilicet.* — *quia* Pr.

( $\delta$ ) *Cfr. præsertim* 2. *Contra gentiles*, cap. 98.

Sed Philosophus dicit, 3. de *Anima* (t. c. 18), quod intellectus agens est *quod est omnia facere*. Ergo intellectio et compositio et divisio et discursus sunt virtute intellectus agentis active, possibilis tantum receptive. Unde et Commentator, 3. de *Anima*, com. 18, dicit quod actio intellectus possibilis non est actio, sed passio. Ergo, etc.

*Tertio.* Si intellectus possibilis ageret ad intellectiōnem, aut ad compositionem et divisionem, esset dare duo agentia: scilicet illud in virtute cuius species imprimitur intellectui possibili, et aliud virtute cuius intellectio mediante specie gignitur. Sed hoc est superfluum, et contra dicta philosophorum et sanctorum, qui non diviserunt intellectum nisi in istas duas differentias, scilicet in agentem et possibilem, nec posuerunt duo agentia. Et iterum, sequeretur quod multo nobilius et praestantius agens esset intellectus possibilis quam ille qui appellatur agens, pro quanto ageret ad nobiliorem effectum, puta actum intelligendi, ille vero ad ignobiliorem, scilicet ad similitudinem. Sed haec sunt absona (α). Ergo omnis activitas attribuenda est agenti; et nullo modo possibili. Et hinc est quod appellatur lumen: quia luminis est manifestare, ad *Ephesios* 5 (v. 13), *Omne quod manifestatur, lumen est*; solus autem intellectus agens active manifestat, ut dictum est; et ideo solus dicitur lumen; possibilis vero non. » — Hæc Aureolus, in forma.

*Ad primum* istorum, dicitur quod materia prima, considerata quantum ad suam potentialeū entitatem, ut prescindit ab omni forma et actu primo, nullam habet activitatem respectu actus secundi. Sed ipsa, considerata ut participans formam et actum primum, potest esse principium actus secundi, non ratione sue potentialitatis, sed ratione formæ quam participat: quia, ut sic, ex ipsa et ex forma resultat compositum, quod est solum agens in sensibilibus, ut ostendit Aristoteles, 7. *Metaphysicae* (t. c. 22). Sic etiam intellectus possibilis, licet ex sua pura potentialitate non habeat quod sit principium actionis, tamen suum potentiale (ε) factum in actu per lumen intellectus agentis et speciem intelligibilem in qua tale lumen participatur, est principium intellectiōnis actualis immediatum. De hoc sanctus Thomas, in *Quæstionibus de Virtutibus*, q. 1, sic dicit: « Est aliqua potentia tantum agens, aliqua tantum acta vel mota, alia vero agens et acta. Potentia ergo quæ est tantum agens, non indiget, ad hoc quod sit principium alicujus actus, aliquo alio inducto. Unde virtus talis potentiae nihil est aliud quam ipsa potentia. Talis autem est divina potentia, et intellectus agens, et potentiae naturales. Unde harum potentiarum virtutes non sunt habitus aliqui, sed ipse potentiae in seipsis completæ. Illæ

vero potentiae sunt tantum actæ, quæ non agunt nisi ab aliis motæ; nec est in eis agere vel non agere, sed secundum impetum virtutis moventis agunt. Et tales sunt virtutes sensitivæ secundum se considerate. Unde, in 6. *Ethicorum* (cap. 2), dicitur quod *sensus nullius actus est principium*. Et haec potentiae perficiuntur ad suos actus per aliquid superinductum; quod tamen non inest eis sicut aliqua forma immanens in subjecto, sed solum per modum passionis, sicut species in pupilla. Unde nec harum potentiarum virtutes sunt habitus, sed magis ipsæ potentiae, secundum quod sunt actu passæ a suis activis. Potentiae vero illæ sunt agentes et actæ, quæ ita moventur a suis activis, quod tamen per ea non determinantur ad unum, sed in eis est agere vel non agere; sicut vires aliquo modo rationales (ζ). Et haec potentiae complentur ad agendum per aliquid superadditum, quod non est in eis per modum passionis tantum, sed per modum formæ quiescentis et manentis in subjecto; ita tamen quod per eam non de necessitate potentia ad unum cogatur, quia sic potentia non esset domina sui actus. Harum autem potentiarum virtutes non sunt ipsæ potentiae; neque passiones, sicut est in potentia sensitivis; neque qualitates de necessitate agentes, sicut sunt qualitates possibiles rerum naturalium; sed sunt habitus, secundum quos potest quis agere cum voluerit. » Item, q. 3, in solutione quinti, sic dicit: « Inter potentias animæ non sunt activæ nisi intellectus agens et vires animæ vegetabilis, quæ non sunt aliquorum habitum subjecta; aliae autem potentiae animæ sunt passivæ, principia tamen actionum anime existentes, secundum quod sunt motæ a suis activis. » — Hæc ille.

*Ad secundum* dicitur quod dictum Aristotelis non militat contra conclusionem: quia Philosophus ibidem (ε) loquitur de actu primo, scilicet de specie intelligibili, non autem de actu secundo, qui est intelligere. Et, dato quod loqueretur de actu secundo, non plus potest haberi ex dictis ejus nisi quod intellectus agens est *quo omnia facere* tanquam agens primum, et in cuius virtute omnis intellectualis operatio fit; cum quo stat quod intellectus possibilis, tanquam agens proximum, in virtute intellectus agentis, elicit actum secundum. Et istud patet ex dictis Aristotelis, 3. de *Anima* (t. c. 8), ubi loquens de intellectu possibili, sic dicit: *Cum autem sic singula fiat, ut sciens dicitur qui secundum actum. Hoc autem confessim accidit cum possit operari per seipsum. Est quidem ergo et (γ) tunc potentia quodammodo; non tamen similiter et ante addiscere, aut invenire; et ipse autem seipsum tunc potest intelligere.* — Hæc ille. — Ex

(α) *absona*. — *absoluta* Pr.

(β) *potentiale*. — *potentiali* Pr.

(γ) *et*. — *Om.* Pr.

quibus patet quod, secundum mentem Philosophi, intellectus possibilis factus in actu per speciem rei intelligibilis, potest operari per seipsum. Si autem potest operari per seipsum, igitur actum secundum elicere effective.

*Ad tertium* dicitur primo, quod intellectus agens et possibilis non reputantur duo agentia distincta, sed ( $\alpha$ ) unum : quia intellectus possibilis, quidquid agit, agit in virtute intellectus agentis. De hoc sanctus Thomas, in *Quæstionibus de Anima*, q. 4, in solutione sexti, sic dicit : « Intellectus possibilis factus in actu non sufficit ad causandam scientiam in nobis ( $\delta$ ), nisi præsupposito intellectu agente. Si enim loquamur de intellectu in actu, qui est in ipso addidente, contingit quod intellectus possibilis aliquis sit in potentia quantum ad aliquid, et quantum ad aliquid in actu. Et per id quod est in actu, potest reduci, etiam quantum ad illud quod est in potentia, in actum ; sicut per id quod est actu cognoscens principia, sit actu cognoscens conclusiones, quas prius cognoscebat in potentia. Sed tamen actualem cognitionem principiorum habere non potest intellectus possibilis, nisi per intellectum agentem : cognitio enim principiorum a sensibilibus ( $\gamma$ ) accipitur, ut dicitur in fine libri *Posteriorum* (lib. 2, cap. ult.) ; a sensibilibus ( $\delta$ ) autem non possunt intelligibilia accipi ( $\epsilon$ ), nisi per abstractionem intellectus agentis. Et ita patet quod intellectus in actu principiorum non sufficit ad reducendum intellectum possibilem de potentia in actum sine intellectu agente. Sed in hac reductione intellectus agens se habet ut artifex, et principia demonstrationis sicut instrumenta. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod non sequitur ex dictis quod intellectus possibilis sit major aut ( $\zeta$ ) nobilior intellectu agente, nec quod agat nobiliorem effectum. Cujus ratio patet ex dictis. De hoc sanctus Thomas, in *de Spiritualibus creaturis*, nona questione, in solutione septimi, sic dicit : « Sicut principaliter sanans est natura interior, sic principium principaliiter causans scientiam intrinsecum, est lumen intellectus agentis, a quo causatur scientia in nobis, dum devenimus per applicationem principiorum universalium ad aliqua specialia, etc. » Item, ibidem ( $\zeta$ ), in solutione sexti, sic dicit : « Species intelligibilis se habet ut principium formale quo intellectus intelligit. Intellectum autem, sive res intellecta, se habet ut constitutum ( $\theta$ ) vel formatum per operationem intellectus : sive hoc sit quidditas ( $\iota$ ) simplex, sive

compositio et divisio propositionis. Has enim duas operationes intellectus Aristoteles assignavit, 3. *de Anima* (l. c. 21). Unam scilicet, quam vocavit intelligentiam indivisibilium, qua videlicet intellectus apprehendit quod quid ( $\alpha$ ) est aliquis rei ; et hanc Arabes vocant formationem, vel imaginacionem per intellectum. Aliam vero ponit, compositionem et divisionem, intellectum ; quam Arabes vocant credulitatem, vel fidem. Utrique autem harum operationum preintelligitur species intelligibilis, qua sit intellectus possibilis in actu ; quia intellectus possibilis non operatur nisi secundum quod est in actu, sicut nec visus videt nisi per hoc quod est factus in actu per visibilem speciem. » — Hæc ille.

Dicitur tertio, quod intellectus agens est lumen secundum suam essentiam ; sed intellectus possibilis est lumen, vel lucidum, per participationem, in quantum scilicet recipit species fulgidas lumine intellectus agentis. Unde tam intellectus agens quam species per ipsum abstractæ, quam prima principia vel secunda, quam intellectus possibilis, et ( $\delta$ ) generaliter omnia que possunt esse principia intellectualis cognitionis, possunt dici lumina, in quantum sunt quedam manifestativa. De hoc sanctus Thomas, 4 p., q. 67, art. 1, sic dicit : « Nomen luminis primo quidem institutum est ad significandum illud quod facit manifestationem in sensu visus ; postmodum autem extensum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundum quacumque cognitionem. » — Hæc ille. — Item, q. 106, art. 1, sic dicit : « Lumen, secundum quod ad intellectum pertinet, nihil aliud est quam quedam manifestatio veritatis. » — Hæc ille. — Item, q. 12, art. 2, sic dicit : « Virsus intellectualis ( $\gamma$ ) creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur, quasi a prima luce derivatum ; sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliqua perfectione superaddita gratiae vel gloriae. » — Hæc ille. — Item, art. 5, sic dicit : « Ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux, etc. » Similia dicit, *de Veritate*, q. 9, art. 4 : « De lumine, inquit, intellectuali ( $\delta$ ) oportet loqui ad similitudinem luminis corporalis. Lumen autem corporale est medium quo videmus. Et servit nostro visui in duobus: uno modo, in hoc quod per ipsum fit visibile actu, quod erat potentia visibile; alio modo, in hoc quod ipse visus confortatur ad videndum ex luminis natura; unde et oportet lumen esse in compositione organi. Unde et lumen intelligibile dici potest ipse vigor intellectus ad intelligendum, vel etiam illud quo aliquid sit nobis notum, etc. » — Hæc ille.

Ad ea qua idem arguens objicit contra eamdem

( $\alpha$ ) sed. — secundum Pr.

( $\delta$ ) nobis. — notis Pr.

( $\gamma$ ) sensibilibus. — finibus Pr.

( $\delta$ ) sensibilibus. — finibus. Pr.

( $\epsilon$ ) accipi. — Om. Pr.

( $\zeta$ ) aut. — Om. Pr.

( $\eta$ ) ibidem. — idem Pr.

( $\theta$ ) constitutum. — considerationem Pr.

( $\iota$ ) quidditas. — quantitas Pr.

( $\alpha$ ) quod quid. — quidquid Pr.

( $\delta$ ) et. — Om. Pr.

( $\gamma$ ) intellectualis. — intelligibilis Pr.

( $\delta$ ) intellectuali. — intelligibili Pr.

conclusionem secundo loco, dicitur *ad primum*, quod lumen gloriae non requiritur in visione beatifica ad vigorandum intellectum possibilem vigoratione passiva vel receptiva visionis, sed ad disponendum eum ad recipiendum actum primum principalem in Dei visione; sicut patet in probatione conclusionis. Nec sanctus Thomas utitur illo modo loquendi. Dicitur tamen quod requiritur ad vigorandum intellectum possibilem vigoratione activa, ut scilicet sit potens elicere actum secundum. Et si contra hunc sensum velit arguere, dicitur quod major argumenti est falsa: quia, sicut patet ex dictis superius contra Durandum, visus noctuæ, si deberet rotam solis aspicere, nendum indigeret impossibilitate ab actione resolutiva organi, immo nova dispositione vel habilitate ad recipiendum actum primum, scilicet speciem perfectam lucis solaris.

Ad confirmationem similiter patet; quia arguit secundum non causam ut causam. Non enim passio abjectiva est sola vel praecisa causa quare intellectus humanus vel angelicus indigeat vigoratione ad videndum divinam essentiam; sed aliquid aliud, ut patet ex dictis ad objecta Scoti contra primam conclusionem. Ergo, etc.

*Ad secundum* patet per predicta. Quia materia prima, licet non indigeat vigorari ad recipiendum animam intellectivam, vel aliam formam sui generis, indiget tamen dispositione. Et ulterius, dicitur quod, licet materia prima et intellectus possibilis non habeant aliquem vigorem essentialiter in actu, habent tamen subjective in potentia: quia materia prima est subjectum formæ substantialis; et intellectus possibilis est subjectum speciei intelligibilis, et luminis nature, gratiae, gloriae, et multorum habituum, qui sunt quidam vigores, constituentes cum intellectu possibili quoddam vigorosum agens, vel potius unum vigorosum agendi principium, ut patet per multa superius dicta.

*Ad tertium* dicitur quod divisio ibidem data, est insufficiens. Quia lumen gloriae non vigorat intellectum possibilem respectu divinae visionis aliquo illorum modorum ibi expressorum, sed est dare tertium membrum: quia scilicet illud lumen vigorat intellectum possibilem ad eliciendum actum divinae visionis, non autem recipiendum; licet sit dispositio ad recipiendum actum primum, qui est essentia divina; que quidem receptio non est per inhaerentiam, nec per informationem proprie dictam, sed alio modo, ut in sequenti questione (α) dicetur.

Ad ea quea tertio loco inducit, dicitur primo, communiter, quod non aliud concludunt nisi quod lumen gloriae datur et est necessarium ad supplendum defectum intellectus agentis; quod conceditur. Non tamen concludunt quin illud lumen suppleat defectum intellectus possibilis; nec quod tale lumen

aliquo modo vigoret intellectum agentem, ad hoc quod habeat qualemcumque activitatem respectu beatificie visionis. Ad hanc enim agit intellectus possibilis, et nullo modo intellectus agens, Cujus ratio est: quia, remoto priori, removetur posterius in essentialiter ordinatis; constat autem quod primus effectus intellectus agentis (α) animæ rationalis est abstrahere species intelligibiles a phantasmatisbus, et describere speciem intelligibilem in intellectu possibili; ad quam actionem sequuntur aliæ actiones, vel effectus, in intellectu possibili; cum ergo in visione beata nulla talis fiat abstractio, sequitur quod intellectus agens ad beatificam visionem penitus nihil agit, nec per se, nec per lumen superadditum.

Dicitur secundo, quod lumen gloriae confortat, vigorat et elevat primo et directe intellectum possibilem animæ rationalis, et non solum ex consequenti, in quantum facit eum capacem passive actus primi, et elicivum active actus secundi, ut sepe superius exstitit replicatum. De predictis sanctus Thomas, septimo *Quodlibeto*, art. 1 (6), sic dicit: « Lumen gloriae perficiet intellectum ad videndum divinam essentiam. De quo in Psalm. (35, v. 10) dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen*. Hoc autem lumen non erit necessarium ad hoc quod faciat intelligibile in potentia esse intelligibile in actu, ad quod nunc est necessarium lumen intellectus agentis: quia ipsa divina essentia, cum sit a materia separata, est per se actu intelligibilis. Sed erit (γ) necessarium tantum ad perficiendum intellectum possibilem; ad quod etiam nunc lumen intellectus agentis valet. Predictum autem lumen gloriae sufficienter perficiet intellectum ad videndum divinam essentiam, eo quod divina essentia totaliter lux intelligibilis est. Unde lumen gloriae ab ea in intellectum descendens, faciet hoc in intellectu respectu divinae essentie, quod facit respectu aliorum intelligibilium (δ), que non sunt lux tantum, sed (ε) species rei intellectae simul et lumen: sicut si lux sensibilis per se subsisteret, ad ejus visionem sufficeret lumen oculum perficiens, sine aliqua similitudine. » — Haec ille.

Dicitur tertio, quod *primum argumentum* non concludit; quia peccat per fallaciam consequentis, arguendo a propositione habente plures causas veritatis ad unam illarum. Sicut enim dictum est, lumen gloriae supplet defectum intellectus agentis alio modo quam arguens dicat: scilicet non vigorando intellectum agentem, sed dando vigorem intellectui possibili, quem intellectus agens non sufficit dare; et dando lumen ad quem intellectus agens non suf-

(α) *et.* — *Ad. Pr.*

(ε) *art.* — *quæst. Pr.*

(γ) *erit.* — *est Pr.*

(δ) *intelligibilium.* — *intellectum Pr.*

(ε) *sed.* — *Om. Pr.*

ficit, scilicet actum primum vel dispositionem ad illum. Cum autem dicit quod omne lumen naturale intellectus est ex parte intellectus agentis, — conceditur. Sed ex hoc non habetur quod omne tale lumen sit intellectus agens, sed potius oppositum.

*Ad secundum* dicitur primo, quod intellectus agens non proprie est vivens; nec aliqua qualitas animae; sed ipsa anima. Et si aliqua potentia animae dicatur qualitas vitalis per essentiam, aequivoce dicetur, vel improprius, per aliquam analogiam vel attributionem: quia tunc arguerem sicut arguens arguit, quod in homine essent multae vitae essentia-  
liter distinctae. — Dicitur secundo, quod eo modo quo conceditur intellectus agens lux vitalis per essentiam, potest concedi quod intellectus possibilis est lux vel lucidum vitale per essentiam, non quod essentialiter sit lux, sed essentialiter potentia vitalis. Sufficit ergo quod lumen gloriae reducatur ad intellectum possibilem, et non ad intellectum agentem. — Dicitur tertio, quod, licet lumen gloriae non sit lux vitalis, tamen essentia divina, quae per lumen gloriae unitur intellectui possibili, est vita, et potest efficere omnem actionem vitalem quam efficit intellectus agens: attento quod intellectus agens extrinsece efficit actionem vitalem quae est intellectio, quia nec eam in se subjective recipit, nec formaliter intelligit, sed extrinsece agit ad actionem vitalem; sed intellectus possibilis eam elicit, et subjective recipit. De predictis sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 4, art. 8, in solutione secundi, sic dicit: « Similitudines rerum in artifice non possunt proprie dici vita: quia non sunt ipsum esse artificis viventis (α), nec etiam ipsa ejus (ε) operatio, sicut in Deo accidit. Et tamen Augustinus (tract. 1 in Johannem) dicit quod arca (γ) in mente artificis vivit; sed hoc est secundum quod in mente artificis habet esse intelligibile, quod ad genus vitae pertinet. » — Haec ille. — Similia dicit, 1 p., q. 18, art. 4.

*Ad tertium* dicitur quod intellectus agens non est intensibilis, nec remissibilis. Nec virtus ejus potest augeri extensive, nec intensive, sic quod aliquid sibi addatur vel infundatur: non enim est subjectum alicujus habitus, nec actus primi, nec secundi, sicut ostendit sanctus Thomas in multis locis (δ). Virtus autem intellectus possibilis augeri potest, non quidem sic quod essentia ejus intendatur, cum sit naturalis potentia animae, non susceptivus habituum et specierum intelligibilium, quae sunt

(α) viventis. — uidentis Pr.

(ε) ejus. — Om. Pr.

(γ) arca. — artem Pr.

(δ) Cfr. 1<sup>am</sup> 2<sup>am</sup>, q. 50, art. 5, ad 2<sup>am</sup>; 3, *Sentent.*, dist. 14, q. 1, art. 1, q<sup>1</sup> 2, ad 2<sup>am</sup>, et dist. 23, q. 4, art. 1; *de Veritate*, q. 16, art. 1, ad 13<sup>am</sup>, et q. 20, art. 2, ad 5<sup>am</sup>.

(ι) susceptivus. — sustinens Pr.

principia quaedam et rationes agendi una cum ipso intellectu possibili. Et ideo lumen gloriae datur directe propter intellectum possibilem perficiendum, non autem ad perficiendum intellectum agentem, sed supplendum ejus defectum. Quod autem intellectus agens non sit susceptivus alicujus habitus, ostendit sanctus Thomas, *de Virtutibus*, q. 1, ut superius fuit recitatum (z). De augmento autem virtutis intellectus possibilis, superius (ε) dictum fuit, recitando dieta sancti Thomae, *Contra Gentiles* (lib. 3, cap. 53).

*Ad quartum* dicitur quod fundatur in falso, sci-  
licet quod lumen gloriae perficiat vel ampliet lumen intellectus agentis.

*Ad quintum* dicitur quod similitudo adducta de oculo potius est ad oppositum quam ad propositum: quia lumen corporale non auget nec ampliat aliquam potentiam agentem visivam similem intellectui agenti, sed solum potentiam passivam similem intellectui possibili. Ideo tota imaginatio cassa est.

*Ad dubia* quae quarto loco inducit, respondet ipsem.

*Ad primum* quidem (*Quodlibeto* 9, art. 3), dicit quod « claritas habitus habet rationem determinantis et appropriantis intellectum in ordine ad objectum. Unde respectu diversorum objectorum diversae sunt et distinctae vigorationes, per consuetudinem acquisitae, prout patet. Claritas autem intellectus essentialis indeterminata est respectu omnis objecti, sicut et intellectus agens. Et ideo nulla claritas substantialis intellectus agentis posset supplere vicem luminis gloriae, pro eo quod lumen gloriae habet vigorem appropriatum et proportionatum et terminatum respectu divinae essentiae, lumen autem naturale non est proportionatum proportione appro priationis, sed est quoddam indifferens. Et ideo illa propositio non est vera, quod quidquid claritatis et vigoris inest intellectui per qualitatem additam, possit sibi inesse per essentiam; quia non est (γ) vigor appropriatus et proportionatus objecto proportione appropriationis. »

*Ad secundum* dicit quod « actus non habet claritatem intellectualis propriam, sed ipsam habet ex intellectu agente. Unde perfectio actus non debet dici claritas; et propter hoc supplere non potest claritatem illam quae exigitur ex parte intellectus agentis. »

*Ad tertium* dicit quod « claritas luminis non ingreditur actum divinitate visionis per modum causae effective, quam Deus potest supplere, sed potius per modum cuiusdam integrantis et constituentis unum perfectum. Hoc autem Deus supplere non potest immediate, cum nullius pars esse possit aut consti-

(z) Cfr. pag. 211, col. 4.

(ε) Cfr. resp. ad primum Scoti contra hanc secundam conclusionem.

(γ) est. — Om. Pr.

tutivum : sicut videmus ( $\alpha$ ) in simili, quod illam activitatem quea consurgit ex radio lunae et stelle in aere, Deus non potest supplere, tenendo scilicet vicem alterius radii, quasi ex Deo et alio radio claritas illius consurgat ».

*Ad quartum* dicit quod « connaturale dicitur duplicitate. Primo quidem, quod inest ab origine; et sic nihil prohibet lumen glorie posse esse connaturale alicui, sicut animae Christi. Secundo, connaturale dicitur illud quod oritur ex principiis naturae, et tanquam proprietas naturam consequens; et sic non potest lumen glorie esse alicui naturale, immo semper est accidentis separabile, et commune, et non proprium alicui creature »; — Hac ille, in forma,

Et quidem omnia possunt stare, preter illud quod dicit *ad tertium*, scilicet quod claritas luminis glorie concurrevit ad actum per modum constitutivi, et non per modum cause efficientis. Hoc enim falsum est : quia lumen glorie se habet effective aliquo modo ad visionem; et non est quid sibi intrinsecum; nec constituit cum illo aliquid tertium, sicut nec habitus cum actu quem elicit. Ideo aliter dicendum est ad illud argumentum, quod peccat per fallaciam figurae dictionis, mutando unum praedicamentum in aliud, scilicet praedicamentum substantiae, quod dicitur *quid*, in agere, vel pati, vel relationem. Dicitur enim quod Deus sine lumine creato posset facere illud accidentis per quod nunc intellectus creatus videt Deum; sed, in tali ( $\beta$ ) casu, intellectus creatus per tale accidentis nihil videbat; quia illud non efficieret, cum excedat naturalem facultatem suam; visio autem creata, est actio immanens elicienti et producenti illam, ut superius dictum est. Sed de hoc latius postea dicetur.

*Ad ea quae quinto loco recitat*, dicitur communiter quod auctoritates Sacrae Scripturae sufficienter ostendunt quod tale lumen ponendum, est dictum a visione. Nec valet glossa nec responsio ad auctoritates *primo et secundo loco* inductas : quia in Sacrae Scripturae et sanctorum dictis lumen vel claritas non consuevit nominare actum secundum, qui est visio; sed potius principium videndi, sicut patet ex dictis sancti Thomae superius recitatis ( $\gamma$ ). Ex quibus patet quod expositio primarum duarum auctoritatum non valet.

Dicitur secundo, quod expositio *tertiae auctoritatis* non valet. Quia glossa illa super Isaiam non est intelligenda sic quod Deus sit in hucem semperternam videntibus divinam essentiam per modum actus secundi, sic quod essentia divina sit actualis visio creature. Hoc enim impossibile est. Sed nec intelligenda est quod Deus sit habitus creature formaliter inhaerens; sed sic quod, in tali visione, divina essentia intellectus creatus se habet

per modum speciei intelligibilis, et quod ab ea effluit lumen glorie, supplens insufficientiam intellectus creati.

Dicitur tertio, quod expositio *quartae auctoritatis* non militat contra nos. Quia auctoritas non multum est ad propositum : quia ex illa non habetur nisi quod Deus est lux omni creaturae incomprehensibilis, nec est visibilis a creatura, nisi dono et gratia Dei. Tamen ex modo loquendi glossae argui potest quod beatus videns Deum non solum habet a Deo donum quod est actus secundus, scilicet visionem actualem, sed etiam donum quod est actus primus, scilicet habitum per quem naturalis potentia actum suum elicit perfecte, prompte, delectabiliter, et hujusmodi. Donum enim importat largam et liberalem dationem, secundum Aristotelem, *4. Ethic.* (cap. 4).

Dicitur quarto, quod expositio *quintae auctoritatis* non concordat dictis antiquorum magistrorum, nec veritati. Quia similitudo proprie attenditur secundum qualitatem, et non secundum agere vel pati. Itagi, quia visio duplicitate accipitur, secundum quod ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 4, art. 2, in solutione tertii, dicens : « Visio duplicitate potest accipi. Uno modo, actualliter, id est, pro ipso actu visionis; et sic visio non est dos, sed est ipsa beatitudo. Alio modo potest accipi habitualiter, id est, pro habitu quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsa glorie claritate, qua anima divinitus illustratur ad videndum Deum; et sic est dos et principium beatitudinis, non autem ipsa beatitudo. » — Hac ille. — Dicitur ergo quod visio que est dos, assimilat nos Deo, non autem visio que est beatitudo, proprie loquendo de similitudine.

Dicitur quinto ( $\alpha$ ), quod expositio decretalis ( $\delta$ ) ibi non est ad mentem legislatorum. Quia illa decretalis intendit loqui de lumine glorie ad sensum doctorum theologorum qui ( $\gamma$ ) ante illam decretalem de tali lumine locuti fuerant, et eorum sententiam confirmare. Cujusmodi fuerat beatus Thomas, Albertus, Petrus de Tarantasia, et multi alii. Constat autem quod dicti doctores posuerunt necessitatem luminis glorie ad videndum Deum, per modum habitus vel actus priuus; nec unquam Dei visionem, que sit actus secundus, lumen glorie vocaverunt. Sed haec ( $\delta$ ) opinio post decretalem et generale concilium a quibusdam Anglicis vel Scottis est introducta.

Sexto, dicitur quod *sexta auctoritas*, illa scilicet ( $\varepsilon$ ) Matth. 5 (v. 8), *Beati mundo corde*, non multum facit ad propositum : quia munditia cordis

( $\alpha$ ) *quinto*. — Om. Pr.

( $\beta$ ) *tali*. — *alio*. Pr.  
( $\gamma$ ) *Cfr.* art. 4, concl. 2.

( $\delta$ ) *qui*. — *qua* Pr.  
( $\varepsilon$ ) *huc*. — *eius* Pr.  
( $\zeta$ ) *sexta auctoritas*, *illa scilicet*. — *illa auctoritas* Pr..

potius consistit in quadam negatione quam in aliquo habitu; nec formaliter importat lumen gloriae. Ideo non oportet ad ejus glossum respondere.

Septimo, dicitur quod auctoritas Augustini *ultimo* adducta, male exponitur. Quia lumen objectivum, quod est Deus, non potest primo participari per actum visionis: quia ille actus non est lumen, nec similitudo luminis; ideo non potest dici participatio luminis quod est Deus. Et sic patet quod opinio illa, quae sic exponit auctoritatem, proterve respondet.

**III. Ad argumenta Durandi.** — **Ad primum** Durandi (x) contra eamdem conclusionem, dicitur quod lumen gloriae requiritur ad confortandum intellectum, ut eliciat actum beatificae visionis, neutrō illorum modorum in argumēto expressorum; quia lumen gloriae non intendit potentiam intellectus agentis, nec possibilis; nec concurrit cum intellectu ad eliciendum visionem, quasi distinctum et partiale agens; sed tertio modo, scilicet quia est nova ratio agendi, superaddita intellectui, alterius rationis, ut ex tali lumine, et intellectu possibili, et essentia divina supplete vicem speciei intelligibilis, constituantur, aliquo modo constitutionis, unum perfectum intelligens in actu, eo modo quo dicitur, 3. *de Anima* (1. c. 36), quod intellectus in actu est intellectum in actu. — Nec valet quod objicit arguens, cum dicit quod tunc intellectus et lumen gloriae haberent similem habitudinem ad actum intelligendi, scilicet quod utrumque haberet rationem potentiae, etc. Hujus consequentie nullitas patet in multis similibus. Quia intellectus possibilis una cum specie concurrunt ad causandum actum intelligendi, ut prius ostensim est; nec tamen utrumque habet rationem potentiae. Et simile est de qualibet potentia perfecta per habitum. Item, medium diaphanum actu motum ab objecto visibili concurrevit cum specie rei visibilis ad movendum organum sensus, et tamen neutrum habet similem habitudinem cum alio ad illam motionem. Similiter, sensus cum specie rei sensibilis causat sensationem, nec tamen utrumque est potentia sensitiva. Omnia ista patent, 7. *Physicorum*, et 2. *de Anima*. Ideo consequentia illa non valet.

**Ad secundum** dicitur primo, quod lumen gloriae non requiritur ad suscipiendum actum beatificae visionis immediatum, ut sepe dictum est, sed ad suscipiendum actum primum elicivum illius actus secundi, scilicet divinam essentiam, ut patet in probacione secundae conclusionis. — Dicitur secundo, quod improbat ibidem facta non militat contra hoc quod dictum est. Non enim qualibet forma supernaturalis requirit dispositionem supernaturalem; sed solum forma principalis. Sicut patet in simili: quia forma substantialis prærequirit dispositionem

accidentalem in materia; et tamen non quolibet accidens prærequirit aliam dispositionem, quia sic esset abire in infinitum. Similiter, inter formas supernaturales est ordo: quia natura est immediate capax aliquarum, non autem omnium. Et ideo intellectus creatus, est immediate capax luminis gloriae, quod est quedam participatio divini intellectus; non autem divine essentiae ut intelligibilis forma, nisi mediante tali lumine. Forma enim intelligibilis in nobis semper requirit proprium susceptivum, quod est intellectus illustratus aliquo lumine; ipse autem intellectus non requirit aliud susceptivum proprium cui generis, sed solum animam intellectivam.

**Ad tertium** dicitur quod lumen gloriae non requiritur solum propter distantiam potentiae ab objecto in infinitum, sed propter inappropriationem ejus naturalium ad objectum; similiter propter infinitum excessum objecti super representationem formarum, qua intellectus naturaliter intelligit, ut prius dictum est. Unde sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 8, art. 3, arguit sic, decimoquarto loco: « Quantumcumque perficiatur intelligentia creata lumine gloriae, semper Deus ipsam in infinitum excedit. Si ergo excessus impedit visionem Dei per essentiam, nunquam intellectus creatus poterit pervenire in statu gloriae ad videndum. Denique per essentiam; quod est absurdum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod per lumen gloriae, quamvis intellectus creatus non in tantum elevetur quin in infinitum distet ab eo divina essentia, tamen per illud lumen sit ut intellectus uniatur divina essentiae sicut forma intelligibili; quod alter fieri non posset. » — Haec ille.

**Ad quartum** dicitur quod sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 49, q. 2, art. 7, posuit quod miraculose potest fieri quod intellectus viatoris videat divinam essentiam sine lumine gloriae. Ait enim sic: « Cum beatitudo sit ultimus finis rationalis creature, status vie in qualibet creatura rationali dicitur esse ille in quo a beatitudine deficit. Beatitudo autem cujuslibet rationalis creature consistit in visione Dei per essentiam. Operatio autem delectabilissima, in qua beatitudo constat, oportet quod sit potentiae dispositae et perfecte ad dignissimum objectum, ut patet, 10. *Ethicorum* (cap. 4 et 7). Et ideo, ad hoc quod creatura rationalis sit beata per visionem Dei in essentia sua, oportet quod in hanc visionem sit potens per aliquam dispositionem sibi inherentem, quam dicimus esse lumen gloriae. Sic autem nulla pura creatura in statu vie existens potest videre Deum per essentiam. Homo enim per dispositiones omnes quas habet in statu vie, non potest in aliquod amplius, nisi ut intelligat quidquid intelligit per species a sensu abstractas: quia phantasmatata sunt intellectui nostro ut sensibilia sensui, ut patet, 3. *de Anima* (1. c. 39). Intellectus etiam angeli, in statu vie

(x) *primum Durandi*. — *Durandi dicendum* Pr.

existentis (2), per omnes dispositiones naturales, vel gratuitas, non potest in aliquid amplius nisi ut intelligat omne quod intelligit per formas creatas, ad quas naturalis facultas intellectus ejus determinatur. Deus autem in essentia sua videri non potest nec per aliquam formam a sensu abstractam, nec per aliquam formam creatam. Unde patet quod nullus intellectus puræ creature, in statu vie existens, potest in visionem Dei per essentiam per aliquam dispositionem sibi inherenterem. Sed contingit aliquando, divina virtute, quod aliqua res miraculose perducitur in aliquid in quod nullo modo potest per alias dispositiones sibi inherentes : sicut quod virgo pariat, quod ignis in aqua comburat. Et similiter miraculose fieri potest, divina virtute, quod aliquis intellectus creatus, non habens nisi dispositiones viae, elevetur ad videndum Deum per essentiam : nec tamen ex tali visione potest dici beatus simpliciter, sed secundum quid tantum : sicut etiam aliquod corpus in statu gravitatis existens, potest miraculose participare actum agilitatis vel impossibilitatis ; sicut legitur de Habacue, *Danielis* ultimo, et de tribus pueris conservatis in fornace, *Danielis* 3; nec tamen eorum corpora erant gloria. Ea autem que sunt miraculose, non dicuntur possibilia secundum naturam in qua sunt, sed secundum virtutem facientis tantum : non enim dicimus, proprio loquendo, quod caecus possit fieri videns, sed quod Deus potest facere eum videntem. Et ideo dicendum quod nulla pura creatura, in statu vie existens, potest Deum per essentiam videri : sed Deus potest facere quod videat, adhuc in statu vie inmanens. Patet etiam quod nullus homo, in statu vie, essentiam Dei, nec etiam angeli, potest videri (3) : quia excedit omnes formas sensibiles, per quas intellectus noster in statu viae cognoscit, et etiam ipsam mentem nostram, ex cuius similitudine aliquid de substantiis intellectualibus cognoscimus. » — Haec ille. — Simile dicit, *de Veritate*, q. 40, art. 44, ubi querit : Utrum mens in statu viae possit Deum per essentiam videri? Dicit enim sic : « Aliqua actio potest alicui convenire dupliciter. Uno modo, sic quod illius actionis principium sit in agente vel operante ; sicut videmus in omnibus naturaliter operantibus. Alio modo, sic quod principium illius operationis, vel motus, sit a principio extrinseco, sicut est in motibus violentis, et sicut est in operationibus miraculosis, que non sunt nisi virtute divina, ut illuminatio cœci, suscitatio mortui, et hujusmodi. Menti autem nostrae, in statu viae, non potest convenire visio Dei per essentiam secundum primum modum. Mens enim nostra (4) naturali cognitione phantasmatu respicit quasi objec-

ta, a quibus species intelligibiles accipit, ut dicitur, 3. *de Anima* (l. c. 39); unde omne quod intelligit secundum statum viae, intelligit per species a phantasmatibus abstractas. Nulla autem species hujusmodi sufficiens est ad representandum divinam essentiam, vel cujuscunq; alterius substantie separate ; cum quidditates rerum sensibiliū, quarum similitudines sunt intelligibiles species a phantasmatibus abstractis, sint alterius rationis ab essentiis substantiarum immaterialium creatarum, et multo magis ab essentia divina. Unde mens nostra naturali cognitione, quam in statu viae experimur, nec Deum, nec angelos videremus. Angeli tamen per essentiam videri possunt per alias species intelligibiles ab eorum essentia differentes ; non autem essentia divina, que omne genus excedit, et est extra omne genus ; et sic nulla species creata potest inveniri sufficiens ad eam representandam. Unde oportet quod, si Deus per essentiam videri debeat, quod per nullam speciem creatam videatur, sed ipsa ejus essentia fiat intelligibilis forma intellectus eum videntis ; quod fieri non potest nisi ad hoc intellectus creatus per lumen glorie disponatur, et sic in videndo Deum per essentiam, per dispositiōnēm infusi lumen, pertingat mens ad terminum viae, qui (2) est gloria ; et sic non est in via. Sicut autem divina omnipotētis subjecta sunt corpora, ita et mentes. Unde, sicut potest perducere aliqua corpora ad effectus quorum dispositio in predictis corporibus non invenitur (sicut Petrum super aquas ambulare, sine (6) hoc quod dotem agilitatis ei tribueret) ; ita potest mentem ad hoc perducere ut divina esseptie iniatur in statu viae (7), illo modo quo sibi iniatur in patria, sine hoc quod a lumine glorie profundatur. Cum autem hoc contingit, oportet quod mens ab illo modo cognitionis desistat quo a phantasmatibus abstractit ; sicut etiam corpus corruptibile, cum ei miraculose datur actus agilitatis, non est simul in actu gravitatis. Et ideo illi quibus hoc modo Deum per essentiam videri datur, omnino ab actibus sensuum (8) abstrahuntur, ut tota anima colligatur ad divinam essentiam intuendandam, unde et rapi dicuntur, quasi vi superioris naturae abstracti ab eo quod eis secundum naturam competebat. Sic ergo, secundum communem cuiuscum, nullus in statu viae Deum per essentiam videt ; et si hoc aliquibus miraculose concedatur, ut Deum per essentiam videant, nondum anima a corpore mortali totaliter separata, non tamen sunt totaliter in statu viae, ex quo actibus sensuum parent, quibus in statu mortalis vita utuntur. » — Haec ille.

Dicitur secundo, quod sanctus Thomas postea videtur predictam opinionem correxisse, vel expos-

(2) *existentis*. — *existens* Pr.

(6) *essentiam Dei*, nec etiam *angeli*, potest videri.

nec etiam *angelus* potest Deum per essentiam videri Pr.

(4) *nostra*. — *in Pr.*

(7) *qui*. — *qui* Pr.

(8) *sue*. — *sive* Pr.

(9) *in statu viae*. Om. Pr.

(10) *sensuum*. — Om. Pr.

suisse. Quod patet: Nam, *de Veritate*, q. 13, art. 2, sic dicit: « Paulus in raptu vidi divinam essentiam. Nec tamen fuit beatus simpliciter, sed secundum quid, quamvis mens ejus illustrata fuerit supernaturali lumine ad ipsum Deum videndum. Quod quidem apparere potest exemplo luminis corporalis. Invenitur enim in quibusdam lumen a sole, ut quedam forma manens, quasi connaturalis effecta; sicut in stellis, et carbunculo, et hujusmodi. In quibusdam vero recipitur lumen a sole, sicut quedam passio transiens; sicut in aere; non enim efficitur lumen forma manens in aere, quasi connaturalis, sed transiit, absente sole. Et similiter lumen gloriae dupliciter menti infunditur. Uno modo, per modum formae connaturalis factae et permanentis; et sic facit mentem simpliciter beatam; et hoc modo infunditur beatis in patria. Alio modo contingit lumen gloriae mentem humanam sicut quedam passionis transiens; et sic mens Pauli in raptu fuit lumine gloriae perfusa vel illustrata. Ipsum etiam nomen raptum et pertransiundo ostendit hoc esse factum. Unde non fuit simpliciter glorificatus; nec habuit donum gloriae, cum illa claritas non fuerit effecta proprietas ejus; et propter hoc non fuit derivata ab anima in corpus; nec in hoc statu perpetuo permanebat. » — Haec ille. — Item, 2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 175, art. 3, in solutione secundi argumenti, sic dicit: « Divina essentia videri ab intellectu creato non potest nisi per lumen gloriae, de quo dicitur in Psalmo (35, v. 10): *In lumine tuo videbimus lumen.* Quod tamen dupliciter potest participari. Uno modo, per modum formae immanentis, et sic beatos facit sanctos in patria. Alio modo, per modum ejusdem passionis transeuntis, sicut est *de lumine propheticæ*; et hoc modo lumen illud fuit in Paulo quando raptus fuit. Et ideo ex tali visione non fuit simpliciter beatus, ut fieret redundatio ad corpus; sed solum secundum quid, etc. » — Haec ille. — Simile dicit, *de Veritate*, q. 20, art. 2: « Potentia, inquit, perfectior est quando recipit aliquid per modum habitus, quam si recipiat per modum passionis solum. Et ideo illud quod superadditum est anima Christi, oportet ponere per modum habitus. Ex itaque autem predictarum rationum oportet in anima Christi aliquid superadditum ad videndum divinam essentiam ponere. Ratione quidem naturæ: quia videre divinam essentiam est supra conditionem etijslibet naturæ creatæ; unde nulla creatura potest ad hoc pertingere, nisi aliquo lumine elevetur in illam visionem. Quod quidem lumen in aliquibus recipitur per modum passionis, quasi pertransiundo, ut in raptis; in Christo autem fuit ut habitus, ipsam animam beatificans a principio sue creationis. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod mens ejus ultima fuit quod nullus intellectus creatus potest divinam essentiam nec in via nec in patria videre, nisi mediante lumine gloriae. Quod ergo dicit, in

4. *Sententiarum*, et in *de Veritate*, q. 10, intelligendum est sic, quod per divinam potentiam miraculose fieri potest quod intellectus viatoris divinam essentiam videat, sine hoc quod lumine gloriae disponatur per modum habitus et formæ manentis, non tamen sine lumine gloriae se habente per modum passionis transeuntis.

Ad quintum dicitur quod minor supponit (z) falsum, scilicet quod divina essentia possit praesentari vel esse praesens in ratione objecti, vel formæ intelligibilis, alicui intellectui creato, sine lumine gloriae. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 10, art. 14, in solutione undecimi, sic dicit: « Quamvis divina essentia sit praesens intellectui nostro, non tamen est ei conjuncta ut forma intelligibilis, quam intelligere possit, quaudiu lumine gloriae non persistit. Ipsa enim mens non habet facultatem videndi Deum per essentiam, antequam praedicto lumine illustretur. Et sic deficit videndi facultas, et visibilis presentia. » — Haec ille. — Similia dicit, 4. *Sentent.*, ut prius allegatum est contra objecta Scotti contra primam conclusionem. Ex quibus patet ad omnia sequentia, que arguens adducit.

Ad argumentum principale pro quaestione (E), patet responsio per praedicta in principio tertii articuli ad objecta Scotti.

Et haec de quaestione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen (y).

## QUESTIO V.

### UTRUM ESSENTIA DIVINA AB INTELLECTU CREATO PER ALIQUAM SIMILITUDINEM VIDEATUR

**V**ITERIUS, circa quadragesimam nonam distinctionem, queritur: Utrum essentia divina ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.

Et arguitur quod sic. Quia intellectus in actu, est intellectum in actu; sicut sensus in actu, est sensibile in actu. Hoc autem non est nisi in quantum sensus informatus similitudine rei sensibilis, et intellectus similitudine rei intelligibilis vel rei intellectæ. Ergo, si Deus ab intellectu creato videtur in actu, oportet quod per aliquam similitudinem videatur.

In oppositum arguitur. Quia dicit Augustinus, 15. *de Trinitate* (cap. 9), quod cum Apostolus dicit (1. Corinth, 13, v. 12), « *Videmus nunc per speculum in enigmate, et speculi et enigmatis* »

(x) supponit. — supponat. Pr.

(y) quaestione. — conclusione Pr.

(z) Johannes Capreoli dictavit, etc. — Ad Pr.